


Dubitari igitur nequit, quin præ cæteris canonibus pro assequenda genuina & avita Patrum Ecclesiastica disciplina hi canones auctoritate præponderent.

Pro hac itaque exhibenda disciplina hosce canones unâ cum quibusdam scholiis publicandos sub initium currentis sæculi (a) in commentario, seu tractatu historico-canonico evulgandos judicavi.

Verùm, cùm intellexissem, scholia his canoni-

bus subjecta breviora esse quàm oporteret ad notitiam verumque canonum sensum assequendum, necnon disciplinæ eisdem contentæ minùs sufficientia judicavi, eosdem recudendos, adjunctis scholiis nonnihil amplioribus, necnon præmissâ Dissertatione ad singulas respectivè Synodos, è quibus hi canones leguntur desumpti, in qua breviter harum Synodorum acta referuntur, quæ plerumque & ad ipsorum canonum assequendam notitiam, necnon ad avitam Patrum disciplinam intelligendam, non parum conducere possunt.

[a] Id est, decimi-octavi sæculi.



COMMENTARIUS IN CANONES JURIS VETERIS.



PARS II.

Scholia in Veteres Canones cum Dissertationibus procæmialibus.

DISSERTATIO

In Canones vulgò Apostolorum.

§. I.

De numero horum Canonum.

Numerus Canonum Apostolorum,



DE NUMERO horum Canonum non una est, præsertim Latinorum opinio, nec eorum numerus in ullo antiquo monumento, quod sæculum quintum præcedit, expressus aut annotatus reperitur. Extat quidem Epistola decretalis ad Episcopos Sicilienses sub nomine Zephyrini Papæ, qui sedit sub finem sæculi secundi, in qua dicitur: *Septuaginta enim Apostoli sententias præfixerunt, cum aliis quamplurimis Episcopis, & servandas censuerunt*: sed præterquam, quod Gratianus *Dist. 16. Can. 2.* conformiter ad Ivonem legat *sexaginta*, & Gregorius Presbyter in sui Polycarpi lib. 3. tit. 2. legat *quingenta*, compertum est viris eruditis, hanc & alteram Epistolam sub nomine hujus Pontificis extantem, esse è putridis pseudo-Isidori mercibus.

Nihil itaque certi de fixo horum canonum numero habemus ante sæculum quintum, quo ex-

Van Espen Oper. Posth. Pars II.

eunte Dionysius Exiguus codicem canonum confecit, in quo ante omnes alios canones exhibet quinquaginta canones sub hoc titulo: *Incipiunt regula Ecclesiastica SS. Apostolorum probata per Clementem Ecclesia Romana Pontificem.*

Horum quoque meminit ipse Dionysius in Epistola vice Præfationis codici canonum præfixa, & Stephano Episcopo inscripta: *«In principio itaque canones, qui dicuntur Apostolorum, de græco transtulimus, quibus, quia plurimi consensum non præbuere facilem, hoc ipsum vestram nolimus ignorare Sanctitatem: quamvis postea quædam constituta Pontificum ex ipsis canonibus adsumpta esse videantur.*

Cùm verò hic codex Dionysianus mox à Romana Ecclesia fuerit probatus, & ut minùs sæculo octavo ejus auctoritas totam Ecclesiam Latinam pervaserit, *quingenta* canones sub nomine Apostolorum Latini conformiter ad hunc codicem numerarunt.

Et quidem Leo 4. apud Grat. *Dist. 20. Can. 1.* ait, *quibus autem in omnibus Ecclesiasticis judiciis utimur, sunt Canones Apostolorum, Nicænorum, &c. videlicet quinquaginta in Codice Dionysii contenti.*

D 2

Unde

Undè & Anastasius Bibliothecarius an. 872. Joannem VIII. Papam scribit, Stephanum prædecessorem ejus solos quinquaginta Apostolorum Canones recipiendos synodicè promulgasse: “ & certè, ait, de Apostolorum Canonibus liquidè novimus, quoniam his quidam facilè non præbuère consensum, sed & prædecessor vester Beatissimus Papa Stephanus non ex his plus quam quinquaginta synodicè promulgavit. “

Item Humbertus Sylvæ candidæ Episcopus in disputatione de jejunio Sabbati contra Nicetam an. 1050. apud Gratianum *Dist. 16. Can. 3.* hæc habet “ Et hoc asserere conaris ex apocryphis libris & Canonibus pari sententiâ SS. Patrum repudiatis, nam Clementis librum, id est, Petri Apostoli itinerarium, & Apostolorum Canones numerant Patres inter apocrypha, exceptis decem capitulis quæ decreverunt orthodoxæ fidei adjungenda.

Undè liquet, tunc temporis apud Latinos solos quinquaginta Canones Apostolorum, reliquis repudiatis, fuisse agnitos. Hinc Urbanus II. iisdem penè temporibus scripsit, præposito S. Juventii, *Sciendum verò quod Canones Apostolorum, quorum auctoritate Orientalis, & ex parte Romanæ nititur Ecclesia, &c.*

Grat. *Dist. 32. Can. 6.* & ipse Gratianus in præfatione *Dist. 16.* ait: “ Apostolorum verò Canones qui per Clementem Romanum Pontificem, sicut quidam asserunt, dicuntur esse translati, sunt quinquaginta.

Sed & Isidorus vulgò mereator in sua collectione quinquaginta tantùm Canonum Apostolorum meminit, idque ex *versione Dionysii*, etiam si in reliquis Conciliorum Canonibus antiquam versionem retineat.

Hunc Canonum numerum recentiores quoque à Latinis retinuerunt, hosque solos pro sinceris Canonibus agnovère.

Quinquaginta priores duntaxat à Latinis usque ad seculum XI, recepti.

Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiast. in Clemente Romano objiciens sibi Decretum Gelasii Papæ, quo Canonum Apostolicorum liber pronuntiatur Apocryphus, ait, “ hæc conciliari possunt, si dicamus Canones legitimos, esse solos quinquaginta priores, reliquos non esse legitimos, quamvis à Græcis recipiantur. “

Bellarmino consentit Baronius ad annum 102. asserens, “ quòd quinquaginta tantùm Canones, eosdemque à *Dionysio* in Latinum translatos novèrit antiquitas. Equidem, ait, qui his supersunt usque ad numerum octogesimum quintum, quos habet Canon ille qui dicitur sextæ Synodi, postea emanarunt. “

Ecclesia Orientalis jam pridem ut authenticos recipit 85. Canones Apostolorum.

Et sanè Græcos jam pridem ultra hos quinquaginta à Latinis receptos, recepisse & alios triginta quinque sub nomine Apostolorum constat.

Equidem sæculo sexto hos omnes simul confidentes octoginta quinque apud Græcos notos fuisse, evincit collectio Joannis Antiocheni in 50. titulos distributa.

In hæc enim Canones hi passim aliis Canonibus intermiscuntur; imò in serie Synodorum juxta ordinem temporum, quo celebratæ fuère, collectioni præfixa, primo loco collocat hos Canones sub hoc titulo, *Sancti Domini Discipuli & Apostoli octoginta quinque Canones Clementis opera ediderunt.*

Cùm autem Joannes Antiochenus collectionem suam instituerit sub Imperatore Justiniano, à quo ad Sedem Constantinopolitanam promotus fuit, admodum verosimile est, etiam ad hos 85. Canones reflexisse Justinianum Novellâ 6. in

verbis: Hoc autem futurum esse credimus, si sacra regularum observatio custodiat, quam justis & laudandi & adorandi inspectores & ministri Dei verbi tradiderunt Apostoli, & Sancti Patres custodierunt & explanaverunt. “

Non dubium proinde, Canones hos omnes eâ ætate pro authenticis agnitos fuisse, ut nimirum non sit, si Synodus quini-sexta, sive Trullana inter alias regulas Ecclesiasticas numeraverit hos 85. Canones volens ut *firmi stabilesque manent, qui à Sanctis & Beatis Patribus qui nos præcesserunt, suscepti ac confirmati sunt, atque adeo nobis etiam traditi sunt, Sanctorum & gloriosorum Apostolorum nomine 85. Canones.*

Post hanc Synodum unanimi Græcorum consensu hi omnes Canones pro authenticis & probatis Canonibus sub nomine Apostolorum agniti fuerunt ab Ecclesia Orientali, sive à Græcis.

Hæc autem Græcorum auctoritate, inducti sensim fuère nonnulli à Latinis, ut & octoginta quinque hosce Canones sub nomine Apostolorum pro authenticis recipere.

Tandem à Latinis is numerus receptus fuit.

Et quidem è recentioribus Turrianus Jesuita speciali tractatu hos 85. Canones, ut authenticos propugnat: ipsosque posteriores Conciliorum & Canonum Latini collectores cum aliis authenticis Canonibus, & quidem primo loco, retulerunt, extantque & hodie ad calcem decreti Gratiani in corpore Canonico sub hoc titulo, *Canones Sanctorum Apostolorum per Clementem à Petro Apostolo Romæ ordinatum Episcopum, in unum congesti.*

§. II.

Quæ horum Canonum auctoritas.

Quemadmodum de numero Canonum vulgo Apostolorum varia fuit jam pridem opinio, ita quoque de eorum auctoritate & tempore quæ hæc Canonum collectio prodiit, diversa fuère jam pridem & hodie sunt Doctorum opiniones.

Græci à mille & amplius retrò annis non tantùm omnes octoginta quinque canones pro authenticis agnoverunt, sed insuper ab *Apostolis* traditos, atque per S. Clementem Papam editos & collectos crediderunt.

Eam fuisse sæculo sexto Joannis Antiocheni sententiam non obscure innuit Epigraphe hisce Canonibus præfixa: *Sancti Domini discipuli, & Apostolici octoginta quinque Canones Clementis opera ediderunt.*

Synodus Trullana canone 2. simpliciter dicit traditos nobis esse *Sanctorum & gloriosorum Apostolorum nomine octoginta quinque Canones.*

Quamvis hæc non planè evincant Synodum agnovisse *Apostolos* horum canonum auctores, communiter tamen interpretes Græci notarunt, hic à Synodo Apostolis hosce canones attribui.

Hinc Theodorus Balsamon perstringens Latinos, qui solos quinquaginta priores canones recipiebant, ait: “ Hujus præsentis canonis perpetuò recordare: per ipsum enim os eis secludes, qui dicunt ab Apostolis non fuisse editos octoginta quinque canones. “

Neque facile erit reperire Græcorum aliquem, qui canones hosce Apostolis non adscripserit post habitam Synodum Trullanam. Imò Joannes Damascenus, *lib. 4. de Fide orthodox. cap. 16.* ipsos libris canonicis, sive S. Scripturæ annumerare non dubitavit. Recensitis enim libris agio-

agiographis tam veteris quam novi Testamenti, immediatè post Apocalypsim S. Joannis subdit: *Canones denique Apostolorum per Clementem concinnati.* Quòd tamen ipsum nimis inconsultè fecisse, monet Baronius ad annum 102. neque ullus aut Græcorum aut Latinorum præter Damascenum, scitur hos Canones libris sacris annumerasse.

Hos è Latinis præsertim recentioribus nonnulli secuti sunt. Quidam è Latinis, sicuti auctoritate Græcorum non solos quinquaginta priores, sed & triginta quinque posteriores tandem admiserunt; ita & eos cum Græcis adscripsere Apostolis tamquam Auctoribus, & Sancto Clementi ut collectori & promulgatori.

Wilhelmus Lindanus in chronico Panopliæ Evangelicæ præfixo, ita de Canonibus his pronuntiat: *Apostolorum Canones certò Apostolorum.*

Et expressè Lambertus Guiterus in Præfatione Operum Clementis, dicens: "Istos Canones ab Apostolis constitutos, à Beatoque Clemente conscriptos esse, multis & certis argumentis adducor ut credam.

Quin & Franciscus Turrianus speciali tractatu aduersus Magdeburgenses ostendere voluit hos Canones sive scriptos, sive ab Apostolis traditos, & à Clemente scriptorum memoriæ consignatos.

Eim seu Græcorum seu Latinorum opinione hodie passim rejiciuntur. Verùm hanc seu Græcorum, seu Latinorum illis consentientium de horum Canonum auctoribus sententiam eruditores passim tam Catholici quam Heterodoxi, tamquam planè infundatam rejiciunt.

Multa quippe in iis adeò clarè distinctèque explicata & constituta sunt, ut de eorum sensu nullatenus dubitari queat, quæ tamen tertio quartoque sæculo acerrimè inter Catholicos disputata fuere, uti in scholiis ad hos Canones notabitur.

Si autem Canones hi ab Apostolis probati, sanctique fuissent, quis existimet ea quæ his Canonibus continentur in dubium fuisse revocata? an credendum adeo ignaros fuisse illius ætatis Patres, ut si hi Canones ab Apostolis probati, & ex eorum traditione à S. Clemente promulgati extitissent, eos in controversiis occurrentibus non produxissent?

Adhæc multa in his Canonibus occurrunt, quæ à temporibus Apostolicis sunt aliena, quæque tunc nondum nota erant, quemadmodum in scholiis ad hos Canones annotabitur.

Itaque communi eruditorum consensu hodie compertum judicatur, hos Canones Apostolis adscribi non posse, neque eo sensu posse dici *Apostolorum*, quòd ab Apostolis essent primitus dictati, & post modum à S. Clemente scripto mandati & evulgati.

Eos tamen esse antiquissimos factentur. Verùm licet eos Apostolis eruditores è Latinis passim abjudicent, plures tamen tam Catholici, quam A catholici ipsos admodum antiquos esse agnoscunt.

Ita vir in antiquitate versatissimus Gabriël Albaspinæus Episcopus Aurelianensis, *Lib. 1. Observ. cap. 13.* postquam probavit hos Canones Apostolis adscribi nequaquam posse subjicit: "Sunt tamen illi Canones antiquissimi, multaque in illis excellentissima & magni ponderis continentur. Nec dubito quin olim Græcæ Ecclesiæ pro legibus, in Manuali, Pontificali, Rituali, ut vocant, Codice fuerint."

Hanc de Canonum horum antiquitate opinionem propugnat Gualielmus Beveregius Presbyter Ecclesiæ Anglicanæ in præfatione ad suas in hos Canones annotationes: cumque quidam anonymus Dissertationem opposuisset, sententiam suam

Van Espen Oper Posth Pars II.

speciali tractatu pluribus elucidavit Beveregius, extatque sub hoc titulo: *Codex Canonum Ecclesiæ primitiva illustratus*, tomo 2. SS. Patrum qui temporibus Apostolorum floruerunt editionis anni 1700.

Contendit itaque Beveregius post Albaspinæum, Canones hos, non quidem ab Apostolis, sed ab Apostolicis Catholicisque viris, secundo, tertiove sæculo à Christi Nativitate, constitutos, publicatosque fuisse.

Nequaquam tamen censet, singula quæ nunc dierum in his habentur verba, adeò antiqua fuisse: Nihil enim dubii esse potest, ait, quin hoc æquè ac alia quæcumque Ecclesiæ primitivæ monumenta, nonnullis in locis interpolatum fuerit, & mendis quibusdam, de quibus postea agemus, vitiatum. Verùm res ipsas in dictis Canonibus comprehensas, à variis Apostolicorum virorum Synodis definitas, & ante tertium finitum sæculum in istud quod sub Canonum SS. Apostolorum titulo hodie circumfertur corpus collectas fuisse arbitramur.

Ita ipse in citato tractatu, *lib. 1. cap. 2. num. 1.* concluditque hanc Canonum antiquissimorum syllogem nihil aliud sibi videri quam *Codicem Ecclesiæ primitivæ*, per quem scilicet Ecclesiastica disciplina, plurimis saltem in locis ante confessum Nicænum administrata fuit.

Ulterius monet *num. 4.* se existimare, hos Canones nihil aliud fuisse quam statuta quædam sive decreta Synodorum quæ per tria æræ christianæ sæcula diversis temporibus locisque habitæ fuere.

Et sanè dubitari nequit, plura in hisce Canonibus occurrere, quæ scimus à primitivis istis Synodis constituta fuisse, uti in scholiis notabimus.

Hoc quoque fatetur Beveregius: "Ex ipsa Canonum horum texturâ constare, eos non ab una omnes, sed à multis Synodis, iisque diversis in locis habitis constitutos esse. Et hinc est, ait, quòd in Codice quo usus est Dionysius Exiguus, quinquaginta soli Canones inventi sunt, & ab eodem latinè redditi, cum alii Codices iisdem etiam diebus extantes, octoginta quinque Canones numerarent."

Præterea fatetur, "quòd priores quinquaginta Canones prius compacti, & reliqui triginta quinque istis postea additi videantur, non secus, inquit, ac in Codice Canonum Ecclesiæ universæ accidisse liquet, qui primo Ephesinis terminatus Canonibus, postea Calchedonensibus, Trullanis, Carthagenensibus, aliisque quamplurimis locupletatus & exauctus est.

Denique asserit, "quòd Apostolici & SS. Apostolorum Canones idcirco appellentur, quòd à viris Apostolicis sanciti sint & publicati, quòd & SS. Apostolorum doctrinæ consentanei, & quòd ab ipsis denique traditi crederentur.

Enim verò, pergit vir eruditus, "proximis post Apostolos sæculis, quæcumque in Ecclesia ortæ sunt controversiæ, de ritibus saltem & externa Ecclesiæ politia, eas omnes ex Apostolorum traditionibus determinare solemne fuit. Ut è magna ista de Pascha contentione patet, utraque parte Apostolorum, hæc D. Petri & Pauli, illa Joannis & Philippi traditiones, ad opinionem suam adstruendam afferente, *Enseb. Eccles. Hist. lib. 5. cap. 23. 24.* hinc multiplices Apostolorum traditiones istis diebus collectæ sunt. Papias enim qui mox post Apostolos vixit, ut exactam rerum Ecclesiasticarum scientiam assequeretur, à Senioribus, qui cum ipsis Apostolis versati fuerant, se scitatum fuisse dicit, quid Andreas, quid

quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Matthæus, quid cæteri Discipuli Domini dicere soliti essent. Neque enim ex librorum lectione tantam se utilitatem capere posse existimabat, quantum ex hominum adhuc superstitem vivâ voce, apud *Enseb. Hist. Eccles. lib. 2. cap. 39.*

Ita hic suum de Canonibus istis iudicium exposuit: idem iudicium fuisse Joannis Pearsonii Episcopi Cestrensis in Anglia, viri multæ lectionis & eruditionis, satis aperuit ipse in suis eruditis pro Epistolis Ignatianis contra Dallæum vindiciis, *lib. 1. cap. 4.*

Hanc quoque de hisce Canonibus sententiam amplexus est recentissimè D. Dupin Doctor Theologus & Professor Regius in Academia Parisiensis, tomo 1. suæ Bibliothecæ Ecclesiasticæ.

Nec ab horum sententia alienus fuisse videtur Hincmarus Rhemenfis vir in re Canonica non parum versatus, qui sæculo nono ita de his Canonibus scripsit in Opusculo quinquaginta-quinque Capitulorum *num. 24.* "Canonès, qui vocantur *Apostolorum*, non Episcopaliū Conciliorum auctoritate constituti sunt, sed à primis temporibus traditione viritum Apostolicorum virorum mentibus commendati, & partim verbis, partim sensu ac sparsim diversis quorundam Epistolis pro qualitate causarum ac temporum inditi, atque exinde, antequam Episcopi concilia, liberè inciperent celebrare, à devotis quibusque collecti."

Finalia hæc verba haud obscure innuunt, Hincmarum supposuisse hos canones ante tempora Constantini Magni, sub quo concilia liberè incœperunt celebrari, fuisse à devotis quibusque collectos.

§. III.

Argumenta pro astruenda horum Canonum antiquitate.

Duplex est argumentorum genus, quæ pro horum canonum antiquitate ac auctoritate adducuntur.

Primi generis sunt, quæ ex ipsis canonibus desumuntur.

Antiquitas horum Canonum adstruitur ex eorum materia.

Imprimis enim auctoritatem horum canonum adstruit, quod nihil in iis contineatur à moribus & institutis primitivæ Ecclesiæ alienum, sive quod secundo, tertio aut saltem quarto exeunte sæculo non fuerit, saltem in aliquibus Ecclesiis observatum, quemadmodum in scholiis notabimus.

Secundò, in canonibus his plura continentur, quæ scimus, sæculis illis fuisse in quibusdam Synodis constituta; ut propterea admodum verisimile sit, canones illos esse constituta earum Synodorum: exemplis id in scholiis ostendemus.

Tertiò, canones hi sub nomine canonum Ecclesiasticorum vel Apostolicorum, à Synodis & Patribus primitivorum sæculorum citantur, quod in scholiis de nonnullis nominatim probabitur.

Alterum argumentorum genus est eorum, quæ desumuntur ab auctoritate Auctorum, qui de his canonibus nominatim loquuntur.

Antiquitas horum Canonum adstruitur auctoritate Auctorum, qui eorum meminerunt.

Et primò quidem constat, exeunte sæculo quinto, aut incipiente sæculo sexto, Dionysium Exiguum majorem horum canonum partem, id est, quinquaginta priores, prout hodie extant, suo codici non tantum inseruisse, sed insuper è Græco in Latinum vertisse, iisque primum locum ante omnes alios, etiam Nicænos canones dedisse, id-

que sub nomine *Regularum Ecclesiasticarum Sanctorum Apostolorum.*

Hinc illud ut minus habetur, ante Dionysii ætatem, hos canones eo modo, quo à Dionysio referuntur, extitisse. Eos enim se de Græco transluisse scribit in Epistola ad Stephanum Episcopum, sed ordinem aut quidquam in eis mutasse filet.

Insuper ex verbis Dionysii habemus, quòd eo tempore tantæ fuerint auctoritatis, ut à nonnullis saltem crederentur ab Apostolis conditi, sive esse Apostolorum; quamvis plurimi, ait Dionysius, *consensum non præbuere facilem*, nimirum ut crederent, eos ab ipsis Apostolis, quorum nomen præferbant, sancitos esse.

Addit autem Dionysius: *Quamvis postea quedam constituta Pontificum ex ipsis Canonibus adsumpta esse videantur.* Quod sanè supponit, canones hos ætate Dionysii ejus fuisse auctoritatis, ut iis quoque Pontifices, qui Dionysium præcesserunt, in suis decretis conficiendis usi essent.

Simile argumentum pro horum canonum antiquitate suppeditat Joannes Antiochenus cognomento *Scholasticus*, eò quòd in foro causarum esset Advocatus. Hic enim circa annum 536. regnante Justiniano, omnes canones Ecclesiasticos, qui tunc temporis in Ecclesia Orientali obtinebant, in quinquaginta titulos distribuit, cuique titulo eos assignans canones, qui eandem materiam concernunt. Priusquam autem opus aggressus est, ordinem Synodorum cum numero canonum in singulis editorum, prout collecti extabant, præmittit, eoque ordine ante omnes alios in primo constituit loco canones Apostolorum octoginta-quinque sub hoc titulo: *Sancti quidem Domini Discipuli & Apostoli 85. Canones per Clementem ediderunt.*

Cùm itaque collectos hic voluerit prætermittere suo operi canones, eorumque ordinem ac numerum prout in anteriore collectione continebantur, nequaquam dubitandum est, quin hi octoginta-quinque, prout à Joanne Antiocheno referuntur, & hodie extant, in anteriore canonum collectione continerentur.

Præterea in præfatione ad suam canonum collectionem, postquam lectorem certior reddidit de ordine & methodo in sua collectione servatis, & quo motivo, ad eam fuisset inductus, dicit, plures quidem ante ipsum canones collegisse & in titulos divisisse; sed canones S. Basilii adjunxisse, nec ad certas materias reduxisse. Verba ejus sunt: "Cùm non ipsi soli, & primi inter cæteros ad hoc faciendum incitati fuerimus, sed alios compererimus, qui canones in titulos sexaginta dividerint, ac neque S. Basilii canones cum aliis conjunxerint, neque res similes cum similibus, ut oportebat, composuerint."

Hinc manifestum est, anteriores canonum in sexaginta titulos distributorum collectiones, quarum meminit Joannes Antiochenus, & quæ editæ fuere, antequam ipse suam adornaret, omnes canones comprehendisse, quos collectio Joannis Antiocheni complectitur, exceptis canonibus S. Basilii, ac per consequens & omnes canones Apostolorum, quos in suam collectionem retulit Joannes. Si enim hi omitti fuissent, de hoc non secus atque de canonibus S. Basilii omissis præmonuisset Lectorem.



§. IV.

Expenduntur argumenta quibus auctoritas & antiquitas horum Canonum convellitur.

Horum Canonum auctoritatem & antiquitatem nonnulli hodie præsertim è Sectariis omni studio evertere studuere, eò quòd fateri juberentur, plura è novitiis suis dogmatibus in his Canonibus penitus everti, è contra verò Catholicorum dogmata stabiliri & exprimi.

Itaque ut hoc Catholicis armamentarium eriperent, asserere cœpère hos Canones esse apocryphos, ac demùm circa medium sæculi quinti confictos, prout & recenter adstruere voluit nominatissimus inter Calvinianæ reformationis Sectatores Joannes Dallæus in suo de pseudo-epigraphicis Apostolicis tractatu, cujus liber tertius totus est de his Canonibus Apostolicis.

Primis autem capitibus præcipuè certat contra Franciscum Turrianum ejusque asseclas, qui Canones hos Apostolis tamquam primis eorum Auctoribus adscribunt, quorum sententiam multis argumentis invictissimè configit, habetque in hoc certamine eruditos passim omnes sibi suffragantes.

Verùm his non contentus etiam Albaspinæi de his Canonibus judicium, qui eos secundo tertiove labente sæculo editos & collectos asserit, reprobat, sustinetque non ante annum 451. hos Canones notos fuisse; ast tùm demùm à tenebrione aliquo confictos & coacervatos esse.

Albaspinæi sententiam aggreditur, suamque oppositam exponit *cap. 21. lib. 3.* atque ante omnia præmittit, hinc distinguendum esse materiam à formâ. Materiam hujus sylloges appello res ipsas, ait *pag. 669.* quæ in Canonibus vel præcipiuntur, vel vetantur, singulaque decreta, ex quibus coagmentis & inter se colligatis facta est sylloge.

Formam verò, pergit, intelligo & ipsum illum ordinem quo Canones per numeros decurrunt, iis tanquam hamis conserti, & orationis totius speciem, hoc est, & verba, quibus hæc decreta hinc expressa habentur, & personas quæ inducuntur, hæc decernentes & loquentes.

Si materia spectetur seorsim à formâ quam in hac sylloge habet, fatetur se propèmodum convenire, quod ait Albaspinæus, ejusque adeò sententiam proximè ad verum accedere.

Fatetur enim plurima ac ferè omnia, ex quibus hæc sylloge sive collectio constat, decreta variis temporibus, aliis alia sæculis & locis toto quatuor primorum sæculorum decursu, in Ecclesia Orientali facta fuisse, paucis exceptis, puta quæ de libris Canonicis, quibus liber tertius Machabæorum annumeratur, & de Clementinis Constitutionibus, Canone 84. & 85. continentur, de quo in scholiis agerit.

Circà formam verò operis à sententiâ Albaspinæi, & eorum qui sæculo secundo aut tertio, vel etiam quarto collectionem hanc factam dicunt, omninò recedit. Atque pluribus argumentis, quibus Albaspinæi ejusque sequacium sententiam confutatam credit, præmissis, tandem *pag. 683.* ità concludit. His ergò explosis ac confutatis omnibus adversariorum de Apostolorum Canonum Codice sententiis diversis quidem, sed tamen juxta falsis, unum id verum esse relinquitur, quod nos defendimus, nimirum librum illum, non ab Apostolis, vel à Clemente scriptum aut

editum, quod somniat Turrianus; non ab Apostolis is viris cœptum & inchoatum, vel ab aliis ante Synodum Nicenam perfectum, atque adeò à pluribus auctoribus confarcinatum, quòd fingit Albaspinæus; sed ab uno eodemque impostore, vel certe à duobus in hanc quam videmus specie compositum Apostolorum nomen impudentissimè mentitis, ut suis decretis pondus darent.

Tùm multis de auctore, ejusque in adornandâ collectione methodo & scopo, interpositis *pag. 685.* ait: "Denique si de tempore queratur, quo pseudo-apostolica illa & apocrypha Canonum collectio facta & edita primùm fuerit, apparet ex iis quæ hætenus disputata sunt, eam neque ante quintum sæculum aduam innotuisse, & quinto exeunte jam extitisse, publicarique cœpisse.

Sanè diffiteri non possumus, & huic opinioni sua non deesse plausibilia fundamenta, quæ capite sequenti proponemus & expendemus, ipsi interim lectori judicium relinquentes.

§. V.

Argumenta Dallæi contra hos Canones expenduntur.

Argumenta quibus contra Canones Apostolicos pugnat Dallæus alia sunt interna, id est ex ipsis Canonibus desumpta, eaque pro majore parte Turriani ejusque sequacium opinionem unicè attingunt, uti in scholiis ad ipsos Canones ostendetur; in quibus hoc genus argumentorum expenditur, videbiturque an ipsam quoque Albaspinæi, Beveregii & his consentientium sententiam, profligent.

Alia argumenta à Dallæo producta sunt externa ab autoritate nimirum seu negativa seu positiva petita, quibus evincere conatur, nec tertio, nec quarto sæculo hos Canones innotuisse, sed demùm sæculo quinto jam adulto ab aliquo impostore, & hæretico confictos, & in eum, quo hodiè extant, ordinem conglomeratos.

Primò itaque Dallæus lib. 3. de Pseudo-epigraphis *cap. 21. pag. 672.* Hanc Canonum collectionem non breviarium esse ac Epitomen Ecclesiasticorum ante Synodum Nicenam decretorum, nec ante hanc Synodum constitutos esse contendit hæc ratione: "Si res ità se haberet omninò hanc Syllogen Codici Canonum Ecclesiæ universalis ejus authores inseruissent, imò primo Codicis loco posuissent, velut & à viris Apostolicis exortum, & ipsa antiquissimi temporis vetustate venerabile monumentum."

De Codice Canonum, cujus hinc sub nomine Codicis Ecclesiæ universalis meminit Dallæus, egimus *Dissert. IV. §. 3.* atque ibidem ostendimus, quòd Codex hic specialis fuerit Ecclesiæ Græcæ, eoque Græci in Concilio Calchedonensi usi fuerint, quodque alio Codice ibidem usi fuerint legati S. Leonis Papæ; adeoque & tum alium fuisse Græcorum, alium Romanæ Ecclesiæ Canonum Codicem, ideoque nec propriè eum codicem, de quo hinc agit Dallæus, dici posse *Ecclesiæ universalis.*

Illud nihilominus verissimum est, hunc Codicem initium accipere à Canonibus Nicenis, nullamque de Canonibus Apostolicis in eo fieri mentionem, cum tamen constet eum ad usum Ecclesiæ Græcæ fuisse concinnatum, cui tum temporis Canones Apostolicos innotuisse contendit Albaspinæus, atque ità suis viribus subsistit Dallæi argumentatio.

Argumenta Dallæi contra antiquitatem horum Canonum ex materia eorum petita expenduntur.

Expenditur argumentum Dallæi ex omissione horum Canonum in Codice Ecclesiæ universalis.

Neque hæc diffitetur Beveregius, sed respondet primò, authori codicis Ecclesiæ universæ, propositum fuisse à Canonibus Nicænis exordium ducere, eosque solos colligere, qui ab istâ Synodo sanciti essent, vel confirmati, aut ab aliis post eam constituti. Quò factum est, ait, ut nulli colligantur præter Ancyranos, & Neocæsarienses, quos etiam ab istâ Synodo confirmatos, probat ex actis Concilii Florentini Sess. 7. ubi hæc verba leguntur: „Ante primam Synodum multæ aliæ celebratæ sunt, Antiochiæ adversus Paulum Sarmosatenum, Ancyræ contra eos qui non suscipiebant accedentes ad fidem, quòd prius Christum abnegassent propter tormenta, & Neocæsariæ tertia, quas omnes Synodos recepit Synodus Nicæna.“

Verùm cum de reformatione aut receptione harum Synodorum nihil in actis Nicænae Synodi, aut aliquo monumento occurrat, nescio an Concilii Florentini de hoc particulari facto testimonium sufficiens sit, ut plenam de ejus veritate fidem faciat?

Vidisse appareat & Beveregius hujus testimonii infirmitatem, ac propterea alteram hujus motus difficultatis solutionem præfert dicens, authori Codicis Ecclesiæ universæ propositum fuisse, colligere Canones Nicænos, & qui eodem penè tempore, ut sunt Ancyrani & Neocæsarienses, aut post Nicænam Synodum, editi erant, in quibus præsens tum Ecclesiæ disciplina continebatur. Unde necesse non fuit adjungere Canones Apostolorum, qui & in unum Codicem jam relati erant, & in quibus primitivæ Ecclesiæ disciplina potius, quam ea quæ tempore confecti Codicis Ecclesiæ universæ obtinebat, repræsentabatur.

Illud ulteriùs probat Beveregius exemplo Codicis Africani, in quo nec unum è decretis quæ sub Cypriano aliisque vetustioribus Africæ Conciliis divulgata fuerant, continetur, sed ea tantum quibus Ecclesiastica disciplina iis, quibus collectus est hic Codex, diebus administrabatur. Fusiùs hanc solutionem deducit, & contra quemdam observatorem anonymum pro Dallæo scribentem tueri conatur in opere cui titulus: *Codex Canonum Ecclesiæ primitivæ illustratus, lib. 1, cap. 16.*

Diluitur secundum argumentum Dallæi. Urget ulteriùs Dallæus contra horum Canonum in unum codicem collectorum antiquitatem, dicens: Tum si quis extitisset hujusmodi Codex, cur numquam eum diserte ac nominatim memorant Ancyrani, Nicæni, Neocæsarienses, Antiocheni, alique Patres? cur non interdum aliquem ex istius Codicis Canonibus, indicato ac nominato numero, sub quo in eo positus extat, citarunt & laudârunt, verbi gratiâ hoc modo: „decernit Canon Apostolorum primus vel trigesimus, vel quinquagesimus, &c. sicuti à Patribus Chalcedonensibus in Codice Ecclesiæ universalis usurpatum est, quos scilicet ejus Codicis Canonem 4. 83. 84. 95. & 96. his diserte numeris expressis, laudasse ac descripsisse, nuper demonstravimus?“

Contra hanc Dallæi objectionem excipiens Beveregius dicit Codicem Ecclesiæ universæ confectum esse ante Concilium OEcumenicum Ephesinum, & tamen in Actis ejusdem Concilii nullam de eo Codice fieri mentionem; hinc tamen non sequi Codicem hunc eo tempore non extitisse.

Præterea nonnisi in Actis ipsius Concilii Chalcedonensis, non autem in Canonibus citantur Canones expressis numeris quos in Codice obti-

nebant: cum autem Acta Conciliorum Nicæni, Ancyrani, Neocæsariensis, Antiocheni, aliorumque ante Ephesinum Concilium celebratorum, nulla penè Acta præter solos Canones supersint, mirum non est, si Canones Apostolorum expressis numeris non habeantur, quòd latius exponit Beveregius, citato cap. 16. additque in dictorum Conciliorum canonibus frequenter hos Apostolicos canones citari, licet numeri quos in codice obtinent, non exprimantur de quo plura in scholiis ad canones.

Alterum argumentum format pro sua opinione Dallæus ex silentio eorum qui sæculo 4. scripserunt. Postquam enim dixit: pag. 685. canonum Apostolorum collectionem neque ante quintum ad ultimum sæculum innotuisse, & quinto exeunte jam extitisse, publicarique cœpisse, ait: „Prius demonstrat universale omnium, qui ante annum Domini 451. vixerunt, de eâ silentium. Neque enim credibile est nullam ejus mentionem, si extitisset fuisse facturos Eusebium, Hieronymum & alios illorum temporum eruditissimos scriptores, qui etiam ea quæ apocrypha judicabant, præcipue quæ Apostolis afficta erant, diligenter persequi & refellere solent.“

His reponit Beveregius cap. 17. ex silentio dictorum scriptorum solidum contra Canones Apostolicos non posse formari argumentum, nisi unâ concludatur Canones Ancyranos, Neocæsarienses & similes eo tempore non extitisse; cum horum nulla quoque apud hos Scriptores memoria occurrat, quin nec Canonum Nicænorum meminit Eusebius.

Ad hæc notandum quòd nequaquam verisimile sit, tempore Eusebii vel Hieronymi hos Canones Apostolis fuisse affictos, aut pro talibus reputatos.

Dein persecutione jam cessante, alia cœpit esse Ecclesiæ facies, aliaque introduci disciplina, ita ut ætate Eusebii & Hieronymi jam cœperint hi Canones Apostolici sensim in desuetudinem abire, ac propterea & minùs usitati, uti latius profertur idem Beveregius.

Urget insuper Dallæus testimonium Dionysii Exigui, qui sub finem sæculi quinti aut initium sæculi sexti suum conficiens Codicem, quinquaginta dumtaxat priores Canones Apostolorum in suum Codicem retulit, quem pluribus sæculis secuti Latini, nonnisi hos quinquaginta Canones, pro genuinis agnoverunt, rejectis triginta quinque posterioribus ut apocryphis & recentiore manu adjectis.

Hinc concludit Dallæus, nec ætate Dionysii plures quam quinquaginta Canones sub nomine Apostolorum notos fuisse, creditque & hoc argumento motus vir eruditus Jacobus Usserius in prolegomenis in Ignatium, cap. 6. ætate Dionysii Exigui, sive sub initium sexti sæculi, quinquaginta tantum extitisse Canones Apostolorum, posteriores autem triginta quinque circa idem tempus, à quodam falsario fuisse adjectos, & prodiisse ex eadem officina, è quâ supposititiæ aliquot circa sæculum sextum prodierunt Epistolæ Ignatianæ.

Verùm, uti supra notatum fuit, qui antiquitatem horum Canonum propugnant, agnoscunt, Canones hos non unâ eodemque tempore simul conditos aut collectos, sed variis temporibus & locis auctos fuisse, adeoque mirum videri non debeat plures vel pauciores in variis exemplaribus, & manuscriptis extitisse.

Hinc concludit fieri potuisse, ut Dionysius exemplaria sortitus sit, quibus soli priores quinquaginta-

Tertium argumentum Dallæi expenditur.

Quartum argumentum Dallæi.

quaginta essent descripti; licet jam revera octoginta quinque extarent, quare solos quinquaginta priores, & non ita reliquos Latine reddiderit Dionysius, incertum est, ait Beveregius. Nobis sanè ait, mutilum eorum exemplar nactus videtur. *lib. 1. cap. 8. num. 2.*

§. VI.

Discutitur Argumentum Dallæi, quod desumit ex decreto Gelasiano de Libris Apocryphis.

Expenditur palmare argumentum Dallæi desumptum ex Decreto Gelasiano de Libris Apocryphis.

Argumenta plura quibus Dallæus auctoritatem & antiquitatem canonum Apostolorum convellere, imò penitus evertere conatur precedenti §. summam retulimus, unaque annotavimus quæ hisce à canonum horum defensoribus, ac signanter Guilielmo Beveregio eorum acerrimo vindice reponuntur: unum quod restat, illudque palmare Dallæi argumentum est desumptum è decreto quod sub nomine Gelasii Papæ in concilio Romano septuaginta Episcoporum extat, speciali §. examinandum credidi; tum quòd decreto omnem his canonibus auctoritatem detrahtam existimet Dallæus, omniaque pro eorum sinceritate & antiquitate allegata testimonia, hoc unico Papali & Synodali decreto elidit, tum quòd à viris eruditis plura nota de hoc decreto scripta sint, quæ non utiliter hinc referenda judicavi.

De hoc decreto agit Dallæus in suo de pseudo-epigraphis Apostolicis *lib. 3. cap. 3. & 4.* asseritque Gelasium Papam anno 494. Synodum Romæ celebrasse, & in ea decretum edidisse de Libris Ecclesiasticis recipiendis vel non recipiendis.

Hoc decreto prout extat apud Gratianum *Dist. 15. Can. 3. & Dist. 21. Can. 3.* & referunt in collectione conciliorum, post recensitos veteris novique Testamenti libros canonicos, nonnulla ex antiquis Ecclesiæ primitivæ monumentis commemorantur, quæ S. Romana Ecclesia suscipi non prohibet, ut in initio decreti dicitur. Post ad notitiam librorum apocryphorum, & non recipiendorum pergens, ait: "Cæterum, quæ ab hæreticis, sive schismaticis conscripta vel prædicata sunt, nullatenus recipit Catholica & Apostolica Ecclesia Romana, è quibus pauca, quæ ad memoriam venerunt, & à Catholicis vitanda sunt, credimus esse subdenda." Inter hæc autem scripta ab Ecclesia Romana repudiata, ac apocrypha ideo dicta, Canones Apostolorum numerantur his verbis: *Liber Canonum Apostolorum Apocryphus.* His notatis subjungit Dallæus *pag. 437.* "Hæc Gelasii Synodus, quibus nihil clarius aut luculentius dici potest." Et *pag. 481.* allegatis auctoribus, qui pro auctoritate Canonum adducuntur, subdit: "Horum omnium, quotcunque & quancunque de cætero sunt, auctoritatem omnem obterit antiquius Gelasii, Romanæque Synodi decretum, neque ullis posterorum sententiis convalescere possunt, quæ tot jam ante sæculis legitimo ac Canonico non Romani modò Præfulis, & quidem ejus, qui inter sapientissimos habetur, sed & Romanæ, & quidem 70. Episcoporum Synodi statuto convulsa & ex Ecclesiæ Catholicæ finibus exterminata fuerunt. Hoc ergo Romanæ veteris Ecclesiæ decretum omnibus Recentiorum scitis ac disputationibus oppono; hoc unum pluris facio, quàm & Trullanæ Synodi, & Græculorum omnium Canones & sophismata; neque satis mirari possum degenerem Turriani & aliorum ignaviam, qui in

totâ hac causa Romani nominis dignitate fœdissimè prodita, unius Scytæ nugæ & Græcorum levitatem sui Gelasii suæque Synodi auctoritati anteponunt.

Huic palmari Dallæi ejusque Affeclarum argumento plura à viris eruditis opponuntur.

Imprimis observant, admodum esse dubium, quis hujus decreti auctor sit. Scimus quidem hodie decretum hoc tribui Gelasio Papæ istius nominis primo, at in veteri codice MS. Ecclesiæ Urgellensis, in quo continetur sincera Isidori collectio, hoc decretum tribuitur Hormisdæ Papæ, uti monet Balusius in notis *ad Epistolam 128. Lupi Ferrariensis*, uti & eidem tribuitur in codice Monasterii Jurensis, teste Francisco Chiffletio in notis ad Vigilium Tapsensem. Quin & testatur Balusius loco citato, se olim beneficio Lucæ Dacherii vidisse vetustissimum codicem MS. collectionis Dionysianæ, in quo scriptum erat decretum hoc à Damaso Papa, diu videlicet ante Gelasii tempora editum fuisse. Cùm autem tale quidpiam neque de Damaso, neque de Gelasio, neque de Hormisdæ, vetus Ecclesiæ historia doceat, illud ex hac MSS. codicum varietate eliciendum apparet, incertum planè fuisse, à quo Pontifice, imò à quo auctore hoc decretum conditum sit.

Neque enim quispiam hujus decreti meminit, nisi trecentis prope annis post Gelasii decessum, filerque de eo Dionysius Exiguus, qui paucis post obitum Gelasii excitatus piis studiis Juliani Presbyteri titulo S. Anastasiæ, *præteritorum Sedis Apostolicæ Præfulum constituta, quâ valuit curâ diligentiaque collegit*, uti ipse loquitur in Epistola dicto Juliano inscripta.

Neque sanè constituta Gelasii omisit, hoc indubiè tam notabile non omitturus, si extitisset, præsertim, cùm in hac Epistola Gelasium non parum laudet, ipsumque decretum utpote recenter editum vix ignorare potuisset.

Accedit, quòd de forma, quâ editum fuit, non conveniat: apud Gratianum quidem, uti hodie legitur *Dist. 15. Can. 3.* editum dicitur à Gelasio *in Concilio habito Roma cum 70. Episcopis*, sed in vetustissimis MSS. illa, *in Concilio*, omittuntur; notaturque à Labbeo in ultima Conciliorum collectione in nota marginali, *tomo 4. coll. 1261.* in codice Justelli hic titulus legitur: *Decreta G. P. de recipiendis libris, quæ scripta sunt ab eo cum 70. eruditissimis Episcopis.*

Extat antiqua Canonum collectio Codicis Herovalliani, quam cum pœnitentiæ Theodori Cantuariensis nuper publicavit vir eruditus Jacobus Petrus, *pag. 98. & 99.* præmissâ doctâ præfatione, monet inter alia, quòd hæc collectio *nullis fœdata sit pseudo-Isidori epistolis.* Ulterius monet, quòd hæc collectio *non solum nullis fœdata epistolis à Pseudo-Isidoro confictis, verum etiam genuinas, quæ postmodum innumeris mendis & interpretationibus corruptæ sunt, integras atque illæsas exhibeat*, notat deinde, quòd *quasdam loquendi formulas posterioribus temporibus usitatas ista collectio vetustissima non admittat.* V. G. ait, *cùm sic Ecclesia describitur: ECCLESIA CATHOLICA, APOSTOLICA & ROMANA, ubicunque hoc vocabulum, ROMANA, legitur in Epistolis Pontificum Romanorum quarti & quinti sæculi, illud abest ab eisdem Epistolis in collectione Codicis Herovalliani citatis.*

Ex his aliisque pro astruenda sinceritate & antiquitate hujus collectionis adductis, concludit vir clarissimus, hanc collectionem videri antiquissimam, ipsaque tempora Caroli M.

necnon publicatas falsas decretales Isidorianas præcessisse.

In hac collectione cap. 4. refertur decretalis *de recipiendis & non recipiendis libris*, cui hæc subjunguntur, *hæc scripta sunt à Gelasio Papa cum 70. Episcopis eruditiss.* Monet autem Petitus in altera collectione codicis Herovalliani, hunc esse titulum: *In Christi nomine incipiunt decreta de recipiendis libris, quæ scripta sunt à Gelasio Papa, cum 70. eruditissimis viris.*

Nulla in his fit Concilii mentio, cujus nec mentionem facit Lupus Ferrariensis, qui primus aut è primis est, qui hujus decreti meminit scribens epist. 126. *Quoniam docet Gelasius cum 70. Episcopis viris eruditissimis, qui scriptores essent, vel non essent recipiendi.*

Hæc varietas lectionis, quæ in diversis codicibus occurrit, decreti hujus suppositionem indicat.

In citata collectione canonum Herovallianâ, quam publicavit Petitus, enumeratis libris Canonicis subditur; *post Propheticas & Evangelicas atque Apostolicas scripturas, quibus Ecclesia Catholica per gratiam Dei fundata est, has suscipi eadem Ecclesia non prohibet, primam sanctam Synodum Nicenam & Constantinopolitanam & Ephesinam, primam & Chalcedonensem, quæ est quarta Synodus.*

Porro, ut notat Petitus pag. 104. in editis exemplaribus hujus decreti post verba *fundata est*. „Plura fere per integram paginam interjecta sunt, quæ ad rem nullo modo pertinent, quorsum enim tot ac tanta de primatu Ecclesiæ, & quidem contra hæreticos, cum agatur quæstio de recipiendis & non recipiendis libris?“

Præterea nonne illa sunt à re prorsus aliena, quæ interponuntur his verbis? *Illud etiam intimandum putamus, quòd, quamvis universæ per orbem Catholica Ecclesia unus thalamus Christi sit, Sancta tamen Romana Catholica & Apostolica Ecclesia nullis Synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est, sed Evangelicâ voce Domini & Salvatoris nostri primatum obtinuit.* Eadem verba Sylvestro Papæ in præfatione Nicæni Concilii perperam adscribuntur à quibusdam auctoribus, ut ab Ænea Parisiensi Episcopo libro adversus Græcos quæst. 4. 5. tomo 7. Spicilegii Dacheriani, & sic de cæteris usque ad ista verba, *has suscipi.*

Deinde post enumeratas Synodos notatur, quæ fuerit harum Synodorum convocandarum causa, quo tempore & adversus quos hæreticos habitæ fuerint & quis Episcoporum numerus; „quæ omnia, inquit Petitus, cum absint à vetustissima canonum collectione Codicis Herovalliani, verisimile est explicationis gratiâ posthac adjuncta fuisset.“

Similiter opuscula Patrum in editis exemplaribus multò aliter referuntur, multaque interponuntur, quæ omninò à scopo hujus decreti aliena videntur, nec aliis cohærent, uti in notis ad hanc collectionem observavit Petitus. Nec tantum varietas hæc occurrit in hac Herovalliana collectione, sed & in aliis MSS. Codicibus, quemadmodum notarunt Correctores Romani ad *Can. 3. Dist. 15.* ubi hoc decretum refertur, & pluribus in notis marginalibus notatur in Labbeana collectione Conciliorum, *tom. 4. col. 1262.* & sequentibus. Unde Binius in notis ad hoc decretum fatetur, quòd „lectio ejus ab originali tantopere discrepet, ut satis certò statui non possit, quæ sit vera & pura Gelasii, nec magno pere mirandum sit, si nonnulla sint, quæ difficultatem faciunt.“

Verum quoad hanc, quæ de Canonibus Apostolorum quæstionem propiùs attingit, testatur „Petitus, librum, qui in editis vocatur apocryphus sub titulo Canonum Apostolorum in utraque collectione inter apocryphas scripturas non recenserit.“

Similiter in nota marginali ad illa verba, *Liber Canonum Apostolorum apocryphus*. Labbeus *tom. 4. Concil. col. 1265.* monuit: *Deest in Codice Justelli.* Neque librum hunc inter apocryphos huic decreto ætate Hincmari Rhemenis fuisse insertum, evidentè evincunt verba Hincmari in Opuscula 55. Capitulum contra Hincmarum Laudunensem *cap. 24.* ubi cum ostendisset Canones hos ab Apostolis non esse editos, licet ex illis SS. Patres in suis Opusculis & Concilia in suis constitutionibus quædam desumpserint, subdit: „& Beatus Gelasius in catalogo, quæ libri in Ecclesia Catholica recipiantur, descripto, authenticis Scripturis & Nicænæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ, Chalcedonensis quoque Synodi & aliis Conciliis à SS. Patribus institutis, & orthodoxorum opusculis, atque decretalibus epistolis Apostolicæ Sedis Pontificum, aliisque Scripturis discretè commemoratis, de his Apostolorum Canonibus penitus tacuit, sed nec inter apocrypha eos misit.“

Quid evidentius, quam teste Hincmaro, Gelasium de his Canonibus tacuisse, nec eos inter apocrypha misisse, ut proinde satis appareat, Hincmarum in hoc Gelasiano decreto hæc verba, *Liber Canonum Apostolorum apocryphus*, non legisse.

Sed hic Dallæus finalia illa Hincmati verba mendosa esse pronuntiat, & verbum *misit*, in verbum *omisit* mutandum censuit, ut textus Hincmari esset: *sed nec inter apocrypha omisit*; idque contra omnium codicum lectionem & evidentem contrariam Hincmari sententiam in præcedentibus verbis expressam: nam in præcedentibus totus est Hincmarus, ut ostendat, quòd, licet canones hi ab ipsis Apostolis editi non sunt, nequam tamen planè sint rejiciendi.

Denique si Gelasius reposuisset librum canonum Apostolorum inter scripta, *quæ ab hæreticis, sive schismaticis conscripta vel prædicata sunt, & quæ nullatenus recipit Catholica & Apostolica Ecclesia Romana*, verisimilene est, quòd Dionysius Exiguus, qui Gelasium tantopere laudavit, quique paucis à morte Gelasii annis suum codicem Romæ collegit, hisce canonibus primum in suo codice ante omnes alios canones etiam Nicænos, locum dedisset?

Sanè si simili censurâ canones hi per Gelasium confixi fuissent, nunquam translatio Dionysii horum canonum è Græco in Latinum, aut in codicem relatio efficere potuisset, ut hi canones mox ab Ecclesia Romana reciperentur, atque Romani Pontifices paucis annis post vulgatum codicem his canonibus uterentur, uti iis usum fuisse Joannem II. patet ex ejus Epistola ad Cæsarium Arelatensem, ubi expressè annorat canonem 25. Apostolorum ex codice Dionysii, cujus vigore Contumeliosus Regiensis Episcopus ab Episcopatu suspendendus probatur.

Plura, quæ probant huic decreto hæc verba, *Liber Canonum Apostolorum apocryphus* recentiore manu decreto fuisse inserta adfert Beveregius in citato tractatu *lib. 1. cap. 9.* item Pearsonius in vindiciis Ignatianis, *lib. 1. cap. 4.*

Sed & si daremus, hoc decretum à Gelasio fuisse editum, atque ibidem librum canonum

Apostolorum apocryphis esse annumeratum; hincnè sequeretur quòd præterdit Dallæus, nimirum hos Canones circa tempus editi hujus decreti, id est sæculo 5. eoque *adulto*, ab hæretico impostore confictos esse, publicarique cœpisse? nonne eadem argumenti formâ sequeretur, quòd historia Eusebii Pamphili, opuscula Tertulliani, Arnobii, necnon liber qui vocatur Pastoris, quæ apocrypha in eodem decreto pronuntiantur, sæculo 5. eoque *adulto* esse conficta, quorum tamen primorum sæculorum auctores meminerunt, & ut Catholica scripta habuerunt?

Itaque Gelasius vel quisquis est illius decreti auctor, nihil de antiquitate librorum quos recenser, definire voluit, sed tantum de auctoritate quam tunc temporis in Ecclesia Romana obtinebant, adè ut ex illis verbis, *Liber Canonum Apostolorum apocryphus*, aliud inferri nequeat, nisi quòd iudicio Gelasii alteriusve illius decreti auctoris, Apostolorum nomen his Canonibus falsò inscriptum esset, idemque nullam tunc temporis

adhuc in iudiciis Ecclesiasticis obtinuissent Romæ auctoritatem; uti post Petrum de Marca *lib. 3. De Concord. Sacerd. & Imp. cap. 2.* latius probat Beveregius citato, *cap. 9. num. 7.*

MONITUM

Circà versionem aut lectionem Canonum Veterum, qui in hoc opere exhibentur.

Exhibentur in hoc opere Veteres Canones prout exant in Codice *Dionysii Exigui* apud Henricum Justellum in *Bibliotheca Juris Canonici Veteris* Tom. I. pag. 101. & sequentibus. Si verò, quo Codex ille non complectitur nempe 35. *posteriores Canones Apostolici* desumpti sunt ex versione *Gentiani Herveti* apud *Labbeum*, Tom. I. Conc. Col. 38. quemadmodum & *Trullani* ibid. Tom. VI. col. 1136 & *Canones Synodi Nicænæ II.* Tom. VII. col. 903. Denique *Synodi Photianæ* ex *Pandectis Canonum Guilielmi Beveregii* Tom. I. pag. 360 ex quibus etiam desumpsit auctor *Lectionem Græcorum*, quam in scholiis inter variantes lectiones exhibet.



SCHOLIA

In Canones vulgò Apostolorum.

CANON I.

Episcopus à duobus aut tribus Episcopis ordinetur.

SCHOLION.

Joannes Dallæus Nominatissimus Calvinianæ Sectæ Theologus in suo de pseudo-Epigraphis Apostolicis lib. III. volens ostendere Canones Apostolorum non posse adscribi Apostolis, imò nec primis quatuor Ecclesiæ sæculis notos fuisse, sed demùm quinto labente sæculo ab aliquo Tenebrione hæretico fabricatos & Apostolis suppositos esse, uti Dissertatione X. dictum est, hanc suam opinionem *cap. 14.* & sequentibus adstruere nititur argumentis ex ipsis Canonibus hisce contenta & deposita primitivæ & notanter Apostolicæ disciplinæ non congruere.

Atque imprimis hunc Canonem aggreditur, dicens *pag. 595.* "Quod in ipso statim collectionis limine occurrit; ut *Episcopus à duobus aut tribus Episcopis ordinetur*, id inquam ab Apostolicis temporibus alienum est, quibus ex Paulo constat, à Presbyteris solitas imprimi manus."

Licet Dallæus locum Pauli, è quo id constare tam confidenter asserit, non alleget, non dubium tamen quin alludat ad verba Pauli 1. ad Timoth. 4. v. 14. quibus præcipit Timotheo, ut non negligat gratiam, quæ est in ipso, quæ data est ei per prophetiam *cum impositione manuum Presbyterii*. Sed undè habet Dallæus hic de Presbyteris distinctis ab Episcopis loqui Apostolum? Verum quidem est, per *Presbyterium* hoc loco intelligi cœtum seu Collegium Presbyterorum, at & id scimus, quod juxta consuetudinem Scripturæ nomine Presbyterorum etiam *Episcopi* comprehendantur, uti notat hinc Estius, fatetur que ipse Dallæus *pag. 596.* quod

qui sunt Paulo Presbyteri, eosdem quoque Episcopos esse.

Undè ex hoc loco statui nequit Timotheo à Presbyteris & non ab Episcopis manus impositas fuisse, imò Timotheo ab Episcopis, id est, Apostolis qui Episcopi erant, manus fuisse impositas expressè notat in hunc Apostoli textum S. Chrysostomus dicens: "non de Presbyteris hoc in loco, sed de Episcopis loquitur. Neque enim Presbyteri ipsum ordinarent." Hunc sequuntur alii tum veteres tum recentiores, uno consensu tradentes Timotheo manus à cœtu seu Collegio Apostolorum sive Episcoporum fuisse impositas, quorum se unum fuisse indicat Apostolus 2. ad Timotheum 1. v. 6. monens Timotheum ut resuscitet gratiam Dei *quæ est in te*, inquit, *per impositionem manuum mearum.*

Itaque hinc habemus, non tantum quòd temporibus Apostolicis, Episcopus ordinaretur ab Episcopo, sed insuper quòd à cœtu sive Collegio Episcoporum, seu à pluribus manuum impositionem acciperet.

Quamquam demus Dallæo, ab Apostolis expressè statutum non fuisse, Episcopum à duobus aut tribus Episcopis ordinandum esse, ex dictis nihilominus patet, disciplinæ hoc Canone expressæ, Apostolos si non suo præcepto, saltem suo exemplo, statuendæ viam stravisse; eo quòd cum Apostoli quempiam ad majus aliquod munus obeundum ordinarent, à pluribus ei manus impositas fuisse memoretur. *Actorum Apost. c. 13.*

Nihil igitur continet hic Canon alienum à temporibus Apostolicis; tamen igitur libenter fateamur, eum ab Apostolis conditum non esse, nihil tamen obstat, quominus sæculo 1. aut 2. conditus fuerit: cum & certum sit, etiam ante Synodum Nicænam hanc disciplinam fuisse stabilitam, atque per omnes Ecclesias religiosè observatam, uti notabimus ad Canonem 4. Nicænum.

Præsenti Canone de ordinatione, non autem de Electione Episcopi tractari, probat verbum Græcum quod manus impositionem significat, & expressè adstruit hinc Balsamon.

C A N O N II.

*Presbyter ab uno Episcopo ordinetur, & Diaconus
& reliqui Clerici.*

S C H O L I O N.

Unus Episcopus conferre potest Ordines inferiores. **A** pud Cotelierum hic canon præcedenti conjungitur & duo unicum canonem constituunt, licet in omnibus tam Græcorum quam Latinorum editis codicibus & versionibus distinguantur. Verisimiliter ob materiæ connexionem in exemplari, quo usus est Cotelierus, in unum confusi sunt incuriâ scriptoris.

Contra hunc canonem primò movet Dallæus, quòd *Episcopi & Presbyteri* nomina distinguantur contra morem temporibus Apostolorum usitatum. Verùm ut demus in scriptis Apostolorum Episcopos & Presbyteros penes nomina sæpius confundi, imò nec distingui, aliud inde concludere nequit Dallæus, nisi canones hos Apostolis tribui non posse.

At canones hos sæculo III. recentiores esse hinc constare nequit; cum certum sit, sæculo isto Episcopatus, Presbyteratus & Diaconatus ordines, suis nominibus fuisse distinctos, atque istius temporis scriptores, cum hos ordines enumerant, aut eorum officia, aut ritus describunt, semper nomina quoque propria eis dedisse: nec unquam nomen *Episcopatus* tribuisse ordini Presbyteratus, aut secundi ordinis Presbyteros vocasse Episcopos, at hos ab illis etiam penes nomina perpetuò distinxisse.

Tertullianus sæculo III. hanc inter Episcopos & Presbyteros distinctionem luculentissimè exposuit lib. de Baptismo cap. 17. dicens: "dandi quidem Baptismi habet jus Summus Sacerdos, qui est Episcopus, & hinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem: quo salvo salva pax est, alioquin etiam Laicis jus est. Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest, nisi Episcopi jam, aut Presbyteri aut Diaconi vocantur, distantes; Domini sermo non debet abscondi ab ullo, &c."

Plura plurimorum sæculorum testimonia, quibus sacrorum ordinum distinctio solidissimè contra Dallæum aliosque Calvinianæ Sectæ Sectatores adstruitur, plures viri eruditi congesserunt, atque novissimè duo celeberrimi Anglicani Scriptores, Guilielmus Beveregius in suo codice canonum primitivæ Ecclesiæ illustrato lib. 2. cap. 11. & Joannes Pearsonius Cestrensis in vindiciis Ignatianis parte 2. cap. 13. ubi hinc pro vindicandis contra Dallæum aliosque Epistolis Ignatianis, solidis ex antiquitate, ac præsertim primi & secundi sæculi momenti petitis argumentis astruit hæc quatuor, Primùm alios quamplurimos secundi sæculi scriptores idem discrimen inter vocabula *Episcopatus & Presbyteratus* observasse, quod docuit Ignatius. Secundò, nullum secundi sæculi scriptorem simplici Presbytero in secundo ministerii ordine constituto Episcopi nomen tribuisse. Tertio, nullum secundi sæculi scriptorem, cum gradus enumerat, aut, cum de singularibus sui temporis ministris loquitur, nomen Presbyteri ei, qui Episcopus esset, tribuisse. Quarto, eâ ætate, quâ S. Ignatius scripsisse dicitur, tres sacros distinctos ordines in Ecclesia extitisse.

Præterea contra hunc canonem movet Dallæus, quòd in eo præter Presbyteros & Diaconos

nominentur reliqui clerici: Apostolus enim, ait pag. 599. "non alios legitimos cognitos fuisse clericos quàm Episcopos sive Presbyteros & Diaconos." Esto Apostolis nulli præter Episcopos, Presbyteros & Diaconos noti fuerint clerici, inde quidem concludi posset, canonem hunc Apostolis non esse tribuendum. At eum sæculo III. & IV. recentiore nequaquam hinc evinceret, quia constat, istis sæculis præter dictos ordines, alios clericos notos fuisse. Tertullianus enim de præscript. cap. 42. meminit *Lectoris* ita scribens: "alius hodie Episcopus, erat alius hodie Diaconus, qui erat Lector, hodie Presbyter, qui erat Laicus" & S. Cyprianus Epist. 24. ad clerum scribit, "fecisse me sciatis Lectorem Saturum & hypodiamonum Optatum confessorem, quos jam pridem communi consilio clero proximos feceramus." Et rursus Epist. 34. ad clerum & plebem asserit Celerinum & Aurelium Lectores constitutos, & ita clero conjunctos dicit: Lectorisque officium ita describit, ut "loci altioris celsitate subnexus, & plebi universæ, pro honoris sui claritate conspicuus, legat præcepta & Evangelium Domini."

Quin & sub idem tempus, S. Cornelius in epist. ad Fabium apud Eusebium lib. 4. cap. 43. præter Presbyteros & Diaconos, etiam Subdiaconos, Acolythos, Exorcistas & Lectores, cum Ostiariis, in Ecclesia sua constitutos docet. Infinita prope modum sunt eorum temporum monumenta, quæ evincunt, præter Presbyteratus & Diaconatus ordines alios inferiores, quibus insigniti clero adscripti censebantur, iis temporibus notos fuisse. Quamvis & illud ultrò fateamur, non omnes & eosdem in omnibus Ecclesiis, aut eodem tempore institutos & receptos fuisse.

Quod hoc canone edicitur, Presbyterum ab Episcopo, eoque uno ordinandum esse, veteris quoque est instituti. Hinc cum Synodus Constantinopolitana I. Can. 4. declaravit, Maximum Cynicum non fuisse ritè Episcopum ordinatum, una declarat, quòd nec fuerint, nec sint, qui ab eo ordinati fuerunt, in ullo quocunque gradu cleri.

Similiter, cum vitio verteretur Athanasio, quòd Macarius unus ex ipsius Diaconis calicem fregisset, Synodus Alexandrina tunc temporis celebrata accusationem istam examinans, reperit eo loco, ubi poculum confractum dicebatur; nulum adfuisse Presbyterum, nec Ecclesiasticum, præter certum Ischyram, qui se fingebat à Colutho quodam ordinatum; at Coluthum istum Presbyterum dumtaxat, non Episcopum fuisse dicit Synodus; ex quo infert, Ischyram ab eodem ordinatum, nec Presbyterum, nec in quovis Ecclesiastico gradu constitutum, sed Laicum esse. Verba Synodi refert S. Athanasius in Apologia 2. pag. 752. Edit. Parisiensis anni 1721.

Hæc ostendunt, jam pridem creditum fuisse, Presbyteros aliosque ad clerum pertinentes ab Episcopo ordinari debere, unde & Hieronymus, licet Episcopos pene Presbyteros exæquare visus sit, fateri tamen debuit, ordinationem Episcopo propriam esse: "Quid facit, ait, exceptâ Ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?"

Pluribus id probat Beveregius ad hunc canonem, qui & præterito sæculo scribens, ait: "ante delirum hoc nostrum & præcedens sæculum, Apostolicum hoc institutum ab universâ Ecclesia religiosissimè observatum est: & nec inter inferiores Clericos, nedum inter Presbyteros, quisquam recenseretur, nisi ab Episcopo ordinatus."

Itaque

Subdiaconorum, Acolythorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum.

Ordo Presbyteratus aliorumque inferiorum, non nisi ab Episcopo conferri possunt.

Itaque veteri primorum temporum disciplina consonat præsens Canon statuens Presbyteros, aliosque Clericos ab Episcopo ordinandos esse.

Unus Episcopus ad id sufficit.

Similiter conformis est eidem disciplina in quantum decernit, ab uno Episcopo ordinandos. Si enim temporum illorum monumenta consulantur reperietur singulis Episcopis liberum fuisse, suos Presbyteros, Diaconos, aliosque ministros ordinare, nec unquam decretum fuisse scitur, plures Episcopos Ordinationi Presbyterorum debere assistere.

Hinc Concilium Hispalense 2. Can. 6. tanquam indubitatum & solitum id statuit: *Episcopus Sacerdotibus & ministris solus honorem dare potest, auferre solus non potest.*

CANON III.

Si quis Episcopus aut Presbyter, præter Ordinationem Domini, alia quedam in Sacrificio offerat super altare: id est, aut mel, aut lac, aut pro vino siceram & confecta quedam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina contra constitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.

CANON IV.

Offerri non liceat ad altare, præter novas spicas, uvas & oleum ad luminaria, & Thymiama, id est, incensum tempore quo sancta celebratur oblatio.

CANON V.

Reliqua poma omnia ad domum primitia Episcopo & Presbyteris dirigantur, non offerantur in altari: certum est autem quod Episcopis & Presbyteris dividant, & Diaconis & reliquis Clericis.

SCHOLION.

Variæ horum Canonum extant lectiones.

Quæ ad altare tempore sacrificii offerri permittuntur & quæ prohibentur.

Imprimis hi tres Canones apud Cotelierum unicum constituunt: apud Hervetum autem & Balsamonem duo priores Canones in unum conflantur; tertius autem separatim Canonem constituit.

Priore Canone decernitur: Si quis Episcopus aut Presbyter præter ordinationem Domini (seu G. præter Domini de sacrificio ordinationem:) vel C. præter à Domino factam de sacrificio constitutionem:) alia quedam in sacrificio offerat super altare: (sive C. ad altare attulerit, id est, aut mel aut lac, aut pro vino siceram & confecta quedam.) Pro finalibus verbis, & confecta quedam, Græci ad siceram addunt, factitiam, ut legant siceram factitiam omiſſis vocibus confecta quedam, quæ lectio videtur verisimilior, uti mox ostendetur.

Addit præterea Canon, quod in altari offerri nequeant aut volatilia, aut animalia aliqua aut legumina.

Sensus Canonis III.

Sensus igitur hujus Canonis est, quod in altari, aut ad altare nihil offeratur, aut afferatur, præterea quæ Dominus iussit in sacrificio offerri, id est panem & vinum, uti notant Balsamon & Zonaras.

Est autem sicera, ait Balsamon, quidquid præter Vinum inebriat. Et latiùs exponit Hieronymus epist. ad Nepotianum: " Sicera Hæbræo sermone omnis potio, nuncupatur quæ inebriat. Van Espen Oper. Posth. Pars II,

re potest, sive illa quæ frumento conficitur, sive pomorum succo, aut cum favi decoquantur in dulcem aut barbaram potionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctisque frugibus aqua pinguior coloratur. " Hinc non obscurum est veriorem esse lectionem Græcorum, quæ legit siceram factitiam.

Plura eam in rem videre licet apud Beveregium in annotationibus ad hunc Canonem.

Canon hic apud Dionysium pœnam in contravenientes adjicit his verbis: *Contra constitutionem Domini faciens congruo tempore deponatur.* Verum hinc variant lectiones.

Omnes quidem Codices & versiones pœnam depositionis in transgressores decernunt, sed verba congruo tempore, cæteræ versiones & Codices uno Dionysiano excepto, referunt non ad verbum deponatur; sed ad oblationem novarum spicarum & uvarum, cujusquidem apud Dionysium fit mentio in Canone sequenti, scilicet quarto: at in reliquis versionibus jungitur huic Canoni tertio: atque hoc modo legitur apud Balsamonem: *Si quis Episcopus aut Presbyter præter Domini de sacrificio ordinationem alia quedam ad altare attulerit. . . . deponatur, præter quam novas spicas vel uvam tempore opportuno.* Cotelierii versio ita habet, *exceptis tempore opportuno, novis granis, sive spicis frumenti, sive uvis.* Hervetus autem legit: *præterquam nova legumina tempore opportuno.*

Hæc lectio uti est communior, ita & verisimilior & convenientior apparet. His enim significatur frumenti spicas, sive nova grana & uvas esse offerenda, quando enata & matura sunt, tunc enim est tempus congruum & opportunum ea offerendi.

Monet autem hic Balsamon quod " cum audis Canonem dicentem: *præterquam novas spicas vel legumina,* ne putes per hæc permitti fieri sacrificium, & hoc enim prohibetur, sed dic ea offerri Sacerdoti, tanquam novorum fructuum primitias, & ut ea ex manibus Sacerdotis cum benedictione accipientes Deo gratias agamus. "

Canon IV. vult tantum Sacerdoti offerri spicas, uvas, oleum & Thymiama, id est, ea quæ quoquo modo serviant ad perficiendum sacrificium.

Permittuntur autem uvarum & frumenti primitiæ ad altare offerri, quia ex his materia sacrificii scilicet vinum & panis conficitur, imò ex his oblatiis desumebatur tantum, ut inde confici posset vinum & panis ad sacrificium necessaria, uti de uva expressè notat ad Can. 4. Aristenus dicens: " uva enim in Ecclesia peculiariter offertur ab aliis fructibus, ut & à vino ex ea facto, quod assumitur ad perficiendum incruentum sacrificium.

Hæc ratione indubiè etiam permittitur offerri ad altare, oleum ad luminaria, (seu C. ad sanctam lucernam & Thymiama, id est, incensum tempore quo sancta celebratur oblatio, seu G. tempore oblationis sanctæ.)

Nequaquam obscurum est horum ad altare oblationem permitti, eò quod ad oblationem sacrificii deservirent, sive quia oleo & incenso tempore oblationis utebantur.

Porro luminaria oleo accensa primis sæculis in Ecclesia usitata fuisse, constat ex Eusebio qui lib. 6. cap. 9. refert in magna Paschæ vigilia, oleum ministris defuisse: aquam autem S. Narcissi mandato lucernis infusam in olei pinguedinem miraculosè conversam esse.

Usus quoque incensi sive Thymiamatis in primitiva Ecclesia fuisse testatur Hypolitus, qui tractans de consummatione mundi ait: " Lugebunt etiam

E

etiam

„etiam Ecclesiæ luctu magno, quia nec oblatio, nec suffitus fiet.“ Evidenter supponens suo tempore, id est, sæculo 3. thurificationem sive *suffitum*, in Ecclesiis usitatum, & S. Ambrosius in cap. 1. Lucæ de eodem usu fidem facit scribens: „Utinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium defrentibus assistat Angelus, imò præbeat se videndum.“

Oblatio. Reliquorum autem fructuum, qui ad usum sacrificii & officii divini non deserviunt, prohibentur Canone 5. in versione Dionysii, sive 4. secundum Græcos offerri in altari; sed jubentur ad domum, Episcopo & Presbyteris dirigi, quod in Dionysii versione ita exprimitur: *reliqua poma omnia ad domum primitiæ, Episcopo & Presbyteris dirigantur, nec offerantur in altari.* Apud Cotelierum verò legitur: *alius verò omnis fructus ad domum mittatur, primitiæ Episcopo & Presbyteris, non autem ad altare.* Eademque lectio occurrit apud Balsamonem & Hervetum.

Oblatio- num con- grua di- stributio. Cur autem ad Episcopum & Presbyteros dirigi debeant hi fructus in Canone subjicitur: *clarum autem est quòd Episcopus & Presbyteri, Diaconis & reliquis Clericis distribuunt:* uti legitur apud Balsamonem, Cotelierum, Hervetum, quin & apud Dionysium, prout in plerisque editionibus extat: quàm lectionem & ipse Canonis contextus postulat: ut proindè dubitari nequeat, quin mendum irreperit in exemplar Codicis Dionysiani, quo usus est Christophorus Justellus, in quo legitur *dativus Episcopis & Presbyteris*, loco nominativi hoc modo: *certum est autem quòd Episcopis & Presbyteris dividant, & Diaconis & reliquis Clericis, quæ sensum non habent.*

In primitiva Ecclesia antequam annui reditus & stipendia ministris Ecclesiæ essent constituta, ipsi ex liberali fidelium contributione, vel etiam è primitiis lege debitis alebantur, uti constitutionibus vulgò Apostolicis legitur *lib. 3. c. 30. omnes primitiæ offerantur Episcopo, & Presbyteris & Diaconis, ad eos alendos.*

Porro quæ offerebantur, Episcopus reliquis ministris juxta eorum gradus distribuebat, ut ex Cypriano aliisque patescit, & latius dicemus ad Canon 7. & 8. Synodi Gangrensis, quibus cautum est, ne quis præter Episcopi sententiam, ea vel accipiat vel distribuatur.

CANON VI.

Episcopus aut Presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu Religionis abjiciat: si verò rejecerit, excommunicetur: sed si perseveraverit, dejiciatur.

SCHOLION.

Delegiti- ma uxore per Episcopos aut Presbyteros prætextu Religionis non dimittenda. Tempore hujus Canonis, non tantum Presbyteros & Diaconos, sed & Episcopos ex more Orientalium habuisse uxores, satis manifestum est; notantque Balsamon & Zonaras, ante Synodum 6. vulgò Trullanam licuisse Episcopis habere uxores: cum igitur etiam juxta disciplinam istius temporis, & præsertim Ecclesiæ Græcæ uxorati possent promoveri in Episcopos, Presbyteros & Diaconos, & suis uxoribus uti, prohibet ipsis

præsens Canon prætextu religionis sive pietatis uxores suas legitimas dimittere, ne ipsi Sacramento injuria fiat, quasi conjugium cum vera pietate non consistere videretur; atque exemplo Clericorum etiam alii fideles sub simili prætextu uxores dimittere vellent.

Porro quia hæc disciplina apparebit opposita disciplinæ Ecclesiæ Latinæ, quæ usum Matrimonii etiam ante legitimè contracti non permittit personis sacratis, idcirco plures è Latinis non reflectentes ad morem primitivæ Ecclesiæ ac notanter Græcorum, putarunt, hinc dumtaxat prohiberi, ne uxorem rejiciat quoad curam & temporalium subministrationem, quod sensui & verbis Canonis non satis conforme apparet, uti multis ostendit Guilielmus Beveregius ad hunc Canonem.

Canonem quoad *sensum*, non autem quoad verba refert Gratianus *Dist. 28. Can. 14.* inquit Correctores Romani: videtur autem Gratianus magis accedere ad sensum Latinorum: pro verbo enim *ejiciat*, legit: *contemnere*; id est negligere, non gerendo ejus curam, & non subministrando necessaria. (a)

CANON VII.

Episcopus aut Presbyter aut Diaconus, nequaquam sæculares curas assumant, sin aliter dejiciantur.

SCHOLION.

Scribit autem S. Cyprianus Epist. 66. Edit. Rigaltii: „Cum jam pridem in Concilio Episcoporum statutum sit, ne quis de Clericis & Dei ministris tutorem vel curatorem testamenti subconstituat, quando singuli divino Sacerdotio honorati, & in Clerico ministerio constitui non nisi altari & sacrificiis deservire, & precibus & orationibus vacare debeant; scriptum est enim, *nemo militans Deo, obligat se molestiis sæcularibus*, ut possit placere ei cui se probavit. Quod cum de omnibus dictum sit, quantum magis Clerici molestiis & laqueis sæcularibus obligari non debent, qui spiritualibus occupati, ab Ecclesia recedere, & ad terrenos & sæculares actus vacare non possunt.“

Ex finalibus verbis epistolæ non obscure colligitur verba ipsa Concilii sive Canonis fuisse, quod & notat Rigaltius: „Ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam Clericorum: nominet: Si quis hoc fecerit non offeratur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & Ministros voluerit avocare.“

Integra epistola Cypriani merito legenda à Sacerdotibus, qui relicto sacerdotali ac præsertim pastoralis officio, cui sunt adstricti, curis & negotiis sæcularibus se immiscent; nec non à Laicis qui Sacerdotes talibus negotiis intricant.

Cum

(a) Ad hunc Canonem Apostolorum referri potest quod iisdem penè verbis scribit Gregorius Magnus l. 7. Ep. 39. *ut sicut Canonica decrevit auctoritas, uxores quas castè debent regere, non relinquunt.*

Cum autem etiam Cypriani tempore statutum fuisse legamus, quod hoc Canone decernitur, hinc & Canonis hujus antiquitas commendatur.

Sæpius autem sequentibus sæculis hic Canon tamquam vocationi Clericorum admodum conformis, renovatus est, ac signanter anno 813 in Concilio Moguntino Canone 14. ubi unà exprimentur negotia sæcularia clericis speciali ratione fugienda. Et latius in *capite 1. Ne Clerici vel Monachi, &c. (a)*

C A N O N VIII.

Si quis Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus sanctum Pascha diem ante vernale æquinoctium cum Judæis celebraverit, abjiciatur.

S C H O L I O N.

Ioannes Dallæus de pseudo-epigraphis *lib. 3. cap. 5.* hunc canonem non tantum Apostolis abjudicandum, sed primis tribus sæculis incognitum arbitratur, eò quod hinc sub depositionis pœna veteretur id, quod diu in multis iisque sanctissimis Paræciis, imò Diocæsibus Asiæ, Orientis & Syriorum servatum fuit.

Dein nonnullis adductis, quibus probat à multis practicum esse, quod hoc canone veteratur, tandem concludit. "Eos qui ita atrocibus in quarto-decimanos Paschæ celebratores deronant, ut eos gradu Ecclesiastico deiciant, vel ad Judæorum communem morem ablegent, Apostolos non esse, sed impostores post Nicænam demum Synodum viventes, qui, quod ferè apud omnes Christianos suo sæculo observari in Paschæ celebratione videbant, Apostolis non minus stultè quàm impudenter more suo affinixerunt."

Lubenter Dallæo assentimur, in eo quod canonem hunc ipsis Apostolis abjudicat. Si enim canon hic tamquam ab Apostolis scriptus aut dictatus, notus fuisset primis illis temporibus, quibus quæstio de die celebrationis Paschæ acerrimè disputata fuit, dubium non est, quin pro decisione quæstionis adductus fuisset, præsertim cum utrimque pro traditione Apostolica certaretur, atque utraque pars praxim Apostolicam pro sua praxi allegaret.

Verùm ea quæ à Dallæo proferuntur, nequaquam vel apparenter probant canonem hunc ante Synodum Nicænam editum non fuisse.

Scimus enim acrem admodum, præsertim tempore quo Victor Romanæ & Polycrates Asiæ Ecclesiæ præerant, contentionem fuisse, quo die Pascha celebrandum esset, contendente Polycrate unà cum aliis Asiæ Episcopis quartadecimâ lunâ Martii, in quamcumque diem incidisset, Pascha esse celebrandum.

"Omnes enim per Asiam Ecclesiæ vetustâ quâdam traditione nixæ quartadecimâ lunâ salutaris Paschæ festum diem celebrandum esse censebant, quo die præscriptum erat Judæis, ut agnum immolarent, eaque omninò lunâ in quemcumque diem septimanæ incidisset, finem jejuniis imponendum esse statuebant."

Ait Eusebius *lib. 5. Hist. Eccles. cap. 23.* addens: "Cum tamen reliquæ totius orbis Ecclesiæ alio more uterentur, qui ex Apostolorum traditione profectus etiamnum servatur, ut scilicet non alio quàm Resurrectionis Dominicæ die jejunia solvi liceat."

Si igitur Eusebio credamus, tempore Victoris Episcopi Romani, id sæculo secundo labente, omnes per orbem Ecclesiæ, exceptâ Diocæsibus Asiæ, censebant quod hoc canone præcipitur, Pascha nequaquam cum Judæis lunâ 14. esse celebrandum.

Quantâ autem vehementiâ à Victore Episcopo Romano Asiæ mos Pascha cum Judæis celebrandi improbaretur, ex iis colligi potest quæ Eusebius ab hoc Pontifice in hac causa gesta narrat *cap. sequenti* ex versione Valesii. "Illicò, ait, omnes Asiæ vicinarumque Provinciarum Ecclesias tamquam contraria rectæ fidei sentientes, à Communione abscindere conatur (Victor) datisque litteris universos qui illic erant fratres proscribit, & ab unitate Ecclesiæ prorsus alienos esse pronuntiat."

Ulterius ex Eusebio habemus, quod eodem tempore, "plures Synodi ob id cœtusque Episcoporum convenirent; atque omnes uno consensu, ait Eusebius *dicto cap. 23.* "Ecclesiasticam regulam universis fidelibus per Epistolas tradiderunt, ne videlicet ullo alio quàm dominico die mysterium Resurrectionis Domini unquam celebretur."

Quidni igitur Episcopi harum Synodorum, qui credebant morem celebrandi Pascha die dominico descendere ex traditione Apostolicâ, hancque Asiæ praxi contrariari, hunc Canonem statuere potuerunt contra Episcopos, Presbyteros & Diaconos, suarum Provinciarum qui ab hac praxi recederent; quamvis simili pœnâ Asiæ contrarium sentientes plebendos non censerent: nec Ecclesias Asiæ à communionem rescindendas judicarent, quales fuisse plures Episcopos, ac notanter S. Irenæum scribit Eusebius qui & refert litteras Irenæi, quibus decenter Victorem admonet, ne integras Dei Ecclesias morem sibi à majoribus traditum custodientes à communionem abscindat.

C A N O N IX.

Si quis Episcopus aut Diaconus, vel quilibet ex Sacerdotali catalogo, factâ oblatione, non communicaverit, aut causam dicat, ut si rationabilis fuerit, veniam consequatur, aut si non dixerit, communionem privetur, tanquam qui populo causa lesionis extiterit, dans suspensionem, de eo qui sacrificavit, quod rectè non obtulerit.

S C H O L I O N.

Theodorus Balsamon interpretans hunc Canonem ait: "Dicimus quod qui in sacrum catalogum annumerantur, & Sacramentorum mysteria peragunt; oblationi autem quæ fit non communicant, segregantur, nisi justam causam dixerint."

Pro faciliiori Canonis intellectu sciendum, antiqui moris fuisse, ut Episcopo Missam solemnem celebrante, reliqui de Clero sive Sacerdotes, Diaconi, aliisque inferiores ministri, unà assisterent, & cum ipso Episcopo sacrificium ac divinam liturgiam peragerent.

(a) Extat quoque hic Canon apud Gratianum, *Dist. 38. c. Episcopus aut Sacerdos.*

Interdicitur celebrari Paschæ lunâ 14. more Judæorum.

Canon hic Apostolis non est ascribendus.

Contentio inter Victorem & Polycratem.

Verisimile est Canonem seculo II. labente conditum.

Ministri altari assistentes communicare seu Eucharistiam percipere jubentur.

Hi igitur omnes tanquam cum ipso Episcopo sacrificium & liturgiam peragentes, unâ etiam communicare jubentur, & nisi causam rationabilem non communicandi dixerint, *communione privantur*, (sive *G. segregantur*), tanquam qui *populo causa lesionis extiterit, dans suspicionem de eo qui sacrificavit, quod non rectè obtulerit*: id est, interprete Zonara "Perindè ac si nollet hujus particeps esse, quod in sacrificante sciret impedimentum aliquod inesse ad sacrificium."

Atque hinc natum esset contingere ut exemplo Cleri populus se ab Episcopi communione segregaret, quod pristinis Ecclesiæ sæculis insolitum non erat, uti notavimus in *Jure Ecclesiast. part. 3. tit. 11. cap. 3. num. 16. & 17.*

Mos iste observatur Romæ in insignioribus Basilicis.

Interim hinc notent Diaconi, Subdiaconi aliique è Clero sacris Missarum solemnibus assistentes, & cum Sacerdote liturgiam peragentes, decens omninò ac pristinæ Ecclesiasticæ disciplinæ conforme esse, ut sicuti cum sacerdote sacrificium peragunt, etiam de ipso sacrificio per Sacram Communionem realiter participant. Testaturque Cardinalis Bona *lib. 2. rerum Liturg. cap. 17. §. 2.* quod "in Missa solemnibus retenta sit ab aliquibus Ecclesiis communio ministrorum, quæ, ait, Romæ nunc permanet in insignioribus Basilicis, & ubi desierat, Apostolicæ visitationis decreto restituta est."

Olim omnes qui sacrificio aderant, communicabant.

Addit autem Bona consuetudinem hanc sapientissimo sanè Consilio retineri, ne aliàs in desuetudinem abeat antiquissimus Ecclesiæ ritus, juxta quem omnes qui sacrificio aderant, communicabant, quod & hodiernæ Missæ ritus & preces sive collectæ supponunt, ut propterea & rectè moneat ibidem Bona, quod *sine hoc ritu vix possint intelligi quæ in liturgicis orationibus quotidie recitantur.*

CANON X.

Omnes fideles qui ingrediuntur Ecclesiam & Scripturas audiunt, non autem perseverant in oratione, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesia commoventes, convenit communione privari.

SCHOLION.

HOC Canone segregari fideles, qui Ecclesiam ingrediuntur, & scripturas audiunt, sed non communicant, satis clarè insinuat textus Canonis prout à Dionysio refertur his verbis: *Nec sanctam communionem percipiunt*, atque ita & Theodorus Balsamon intellexisse videtur: nam in commentario Canonis expressè dicit: "Præsentis Canonis constitutio est acerbissima: Segregat enim eos, qui in Ecclesiam conveniunt, & non ad finem usque expectant, nec communicant."

De segregandis à communione qui ad finem usque non perseverant in Ecclesia.

Videtur quoque idem sentire Zonaras dicens: "Canon præsens exigit omnes dum sanctum celebratur sacrificium, ad finem usque in oratione, sanctâque communione perseverare, si quidem tùm temporis à Laicis exigebatur ut frequenter communicarent."

Hunc quoque Canonis sensum secutus sæculo IX. Amalarius in spicilegio Acheriano, *tom. ... pag. 171. (a)* conjungens hunc Canonem & præcedentem, ait: "Præcipitur in Canoni-

[a] Pervolvi spicilegium Acherianum, nec inveni textum à D. Van-Espen citatum.

bus, ut omnes ingredientes Ecclesiam communicent; quod si non communicaverint, dicant causam quare non communicaverint, & si rationabilis extiterit, indulgeatur illis, sin autem excommunicentur.

Verùm citatus Balsamon in interpretatione præcedentis Canonis, negat in illo Canone præcipi omnibus Laicis Ecclesiam ingredientibus communicare, sed tantùm usque in finem liturgiæ assistere, imò nec Clericis, seu sacris hominibus qui altari non assistunt: verba ejus sunt. "Sacri autem qui sancta super altare non tractant, & omnes Laici fideles qui non expectant, seu ad finem usque non perseverant, donec à dignis sancta facta fuerit communicatio, ut inordinati segregentur, dicere enim omnes nos fideles Laicos, & consecratos, qui sacra non tractant, oportere quotidie Sanctis communicare, alioqui segregari, nec est ex sententia Canonis, nec potest fieri, & idèd nonus Canon dixit puniri fideles qui non permanent, & nos addit eos qui non communicant."

Finalia verba clarè indicant, Balsamonem hæc scribentem præ oculis habuisse lectionem Græcam, quæ pro his verbis apud Dionysium, *nec sanctam communionem percipiunt*, legit, & in *sacra communione non permanent*, quemadmodum & Hervetus vertit, neque dissonat Cotelærius ita vertens, *non autem perseverant in oratione & sancta communione.*

His & consentit Synopsis quæ post commentaria Balsamonis & Zonaræ cum observationibus Alexii Aristeni extat apud Beveregium, in quo Canon hic ita compendio legitur: *Segregabis eum qui in precibus & communione non permanet.* Subjecto hoc Aristeni scholio: "Qui non manet in Ecclesia usque ad finem, sed de Ecclesia egreditur, dum adhuc Sacra Liturgia celebratur, eum ut confusionem facientem in Ecclesia segregari oportet."

Facit pro hac interpretatione, quod si Canon omnes fideles Ecclesiam ingredientes, & sacrificio assistentes ad communicandum astringere intendisset, indubiè addita fuisset & hæc clausula salutaris Canonis præcedenti inserta: *nisi causa rationabilis non communicandi extiterit.* Cùm Laici faciliùs ex causa à communione excusari, quàm sacri homines, præsertim altari servientes, possint.

Itaque hoc Canone unicè præcipi videtur, ut fideles Ecclesiam ingredientes, divino officio intersint, & ad finem usque Sacræ Liturgiæ permanent, ne aliàs confusionem sive inquietudinem, statutum ordinem invertentes, inducant.

Hinc imprimis intelligimus, quàm jam pridem solliciti fuerint Patres, ne quis confusionem aut inquietudinem induceret in Ecclesiam tempore divini officii, ipsum ordinem officii turbando.

Notandum autem quod etiam si genuina esset lectio Dionysiana, atque præciperetur, ut omnes fideles Ecclesiam ingredientes, & sacras Scripturas audientes, deberent sanctam communionem percipere, nequaquam hinc consequens esset, Canonem hunc primis Ecclesiæ sæculis haud editum esse: imò è contrario ejus suaderet vetustatem. Certum enim est & exploratum in primordiis Ecclesiæ omnes fideles, *quorum erat cor unum & anima una, quotidie perseverasse in communicatione & fractione panis*, ut acta Apostolorum testantur, nec ullus sacris misteriis interesse permittebatur, nisi qui offerre poterat, & de ob-

Olim omnes sacris sacrificio assistentes communicabant.

latis

latis participare, quam consuetudinem diu perficisse evidens, est inquit Cardinalis Bona *lib. 2. rerum Liturg. cap. 17. §. 2.* pluribus ex antiquitate argumentis petitis id adstruens.

Retulit hunc Canonem Gratianus *Dist. 1. de Consecrat. Can. 62.* ex versione Dionysii, sed additis his verbis; *in solemnitatibus sacris*, secutus, ut apparet, Ivonem *qui part. 6. cap. 163.* Canonem cum eadem clausula recitat: & Burchardus *lib. 2. cap. 67.* addit *in solemnibus sacris*. Regino autem *lib. 1. de Ecclesiast. discipl. cap. 193.* recitans hunc Canonem, interferit hæc verba; *die Dominico*. Cum enim tempore horum collectorum defuisset quotidiana fidelium communio, atque ad dies Dominicas, vel etiam præcipuas solemnitates esset redacta, Canonem disciplinæ sui temporis accommodantes, eas particulas inseruerunt, non satis attendentes, aliam fuisse tempore conditi Canonis disciplinam.

Interim & ex hoc Canone habemus jam pridem apud Christianos usitatum fuisse, ut in sacris Conventibus diebus præsertim Dominicis & Festis prælegerentur *Sacra Scriptura*, vetarenturque ante lectionem Scripturarum egredi. Et hinc verisimiliter communis fidelium persuasio habet, quod præcepto Ecclesiæ de audienda Missa non satisfiat, si quis post recitatum Evangelium intraverit.

CANON XI.

Si quis cum excommunicato, saltem in domo (a) simul oraverit, iste communione privetur.

CANON XII.

Si quis cum damnato Clerico veluti cum Clerico, simul oraverit, iste damnetur.

SCHOLIION.

Hæc canones coincidunt cum canone 5. Nicæno, & Canone 9. Codicis Africani quorum scholia consule.

Illud circa posteriorem Canonem hic notandum quod eo Canone agatur non de Clerico excommunicato sed *deposito*. Idèdque apud Balsamonem, Hervetum & Cotelierum pro *damnato*, legitur *deposito*.

Deinde agitur *de Clerico*, cum alio Clerico *deposito* orante: quare & apud eosdem legitur, si quis *Clericus*, vel *cum sit Clericus*.

Itaque decernitur quod si quis *Clericus cum Clerico* deposito, veluti *cum Clerico*, (ut legunt Dionysius & Cotelierus) *oraverit*, id est, functiones Clericales obiverit, *iste damnetur*, aut ut alii legunt & *ipse deponatur*, utpotè qui depositionem ab Episcopo factam, hæc communicatione contempnisset, & vilipendisse videatur.

CANON XIII.

Si quis Clericus aut Laicus à communione suspensus, seu communicans, ad aliam properet civitatem, & suscipiatur præter commendatitias litteras, & qui susceperunt, &

qui susceptus est, communione priventur. Excommunicato verò proteletur ipsa correptio, tanquam qui mentitus sit, & Ecclesiam Dei seduxerit.

SCHOLIION.

Hic Canon in duos divisus extat apud Balsamonem & Zonaram. Priore parte, quæ apud ipsos conficit Canonem 12. decernitur, ut *si quis Clericus aut Laicus à communione suspensus* (sive *G. segregatus*, seu *communicans*, (*G. sive non recipiendus*, (aut *C. non receptus*,) *ad aliam properet civitatem, & suscipiatur præter commendatitias litteras, & qui susceperunt, & qui susceptus est, communione priventur.*

Canonem quoad hanc partem convenire cum Canone 6 Antiocheno monet hic Zonaras: notandum autem hic esse versionem Dionysii, ut observat Cotelierus, creditque exponi posse *suspensum pro eo*, "cujus res perspectæ non sunt, vel cuius adhuc sub judice lis, accusatus nimirum coram Episcopo, necdum judicatus reus, aut innocens."

Posteriore autem canonis parte, quæ apud Græcos conficit canonem 13. statuitur ut *excommunicato proteletur ipsa correptio*. Græci autem conficientes distinctum canonem ita legunt, *si verò fuerit excommunicatus, aggravetur in eundem excommunicatio.*

Porro particula *verò* satis indicat hanc periodum esse canonis præcedentis appendicem, ut propterea non tantum in Dionysii versione, sed & Cotelierii & Herveti unum cum superiore canonem conficiat: legit autem Cotelierus. *Si autem fuerit segregatus, prorogetur ei segregatio*: Hervetus autem, *ejus intendatur segregatio*.

Harum versionum licet diversa sint verba, eadem tamen est sententia, nimirum segregatum aut excommunicatum, qui sine suis Episcopi litteris commendatitiis in aliam Ecclesiam fraudulenter se intrusit, sive recipi fecit, gravius esse puniendum, sive segregationem vel excommunicationem ad tempus inflictam, esse *prorogandam, intendendam, protelandam, sive aggravandam*.

Ratio hujus aggravationis, seu protelationis exprimitur in canone apud Dionysium his verbis: *tanquam qui mentitus sit, & Ecclesiam Dei seduxerit*, vel uti legit Cotelierus: *ut qui verbis fefellerit ac deceperit Ecclesiam Dei*.

Hæc clausula quidem nec apud Balsamonem aut Zonaram, nec apud Hervetum reperitur, habetur tamen apud Joannem Antiochenum in collectione canonum *tit. 18.* atque ita legisse Alexium Aristenum patet ex ejus ad Synopsim hujus canonis commentario.

Synopsis ita habet. *Qui segregationem suam mentitur, est minimè recipiendus.*

Huic synopsi subjungit Aristenus hunc commentarium. "Si quis à proprio Episcopo segregatur, & proficiscens ad alium Episcopum celat segregationem, & ab eo recipitur, aggravetur ei segregatio, tanquam mentienti & decipienti Ecclesiam Dei." Imò totus canonis hujus contextus, hanc rationem patenter insinuat.

Hoc autem observandum, in hæc posteriore canonis partè expressè sermonem esse, de *excommunicato* vel *segregato*, idque cum oppositione, ut apparet, *ad suspensum*: ita ut hic de Laico, non

[a] In quibusdam Codicibus legitur, *locutus fuerit* vel, &c.

verò de Clerico statui verifimile fit. In primitiva enim Ecclesia Clericus semel *depositus*, nunquam ad functiones clericales restituèbatur, at Laici ad tempus à communione segregabantur; ideoque ex causa superveniente eorum segregatio seu excommunicatio vel correptio protelari sive intendi aut aggravari poterat.

C A N O N XIV.

Episcopo non licere alienam Parochiam propriam relictam pervadere, licet cogatur à plurimis, nisi forte rationabilis eum causa compellat, tanquam qui possit ibidem constitutis (a) plus lucri conferre, & in causa Religionis aliquid profectò (b) prospicere, & hoc non à semetipso pertinet, sed multorum Episcoporum judicio & maximam supplicatione perficiat.

S C H O L I O N.

Episcopi jubentur contenti esse regimine propriæ Ecclesiæ.

HOC Canone imprimis præcipitur Episcopo non licere alienam Parochiam, id est, Diocesim, propriam relictam pervadere, (sive G. ad aliam transilire,) licet cogatur à plurimis.

Sensus apparet, quod Episcopus debeat esse contentus regimine propriæ Ecclesiæ seu Diocesis, neque alienæ se immiscere, aut populi illius regimen aut instructionem suscipere, tamen si forsitan plures à populo alterius Diocesis id instanter postulent, & quodammodo eum cogant: idque ne confusio & dissensio oriatur inter Episcopos, ubi rectè hic notat Zonaras, dicens: „Varii Canones Synodici prohibent Episcopis à suis Ecclesiis in alias migrare: sed unumquemque mandant in ea, quæ fortè sibi contigit Ecclesiâ, manere, ne dissideant inter se.

Anno sexcentesimo septuagesimo tertio celebrata est Synodus Herefordiensis in Anglia sub Theodoro Archiepiscopo Doroverniensi; (c) qui ibidem coram Synodo librum canonum retulit, ex quo decem capitula recitavit à Synodo suscepta, quorum secundum hoc erat: „ut nullus Episcopus alterius Parochiam invadat, sed contentus sit gubernatione creditæ sibi plebis.“

Evidens est, hoc statutum omnino consonum esse præcedenti canoni ex versione Dionysii: ideoque non sine fundamento suspicatur Beveregius in annotationibus ad hunc canonem, librum canonum à Theodoro prolatum eundem fuisse, quem Dionysius in Latinum verterat, & canones hosce vulgò Apostolorum saltem quinquaginta priores in eo fuisse descriptos, præsertim, quod inter statuta libro illo descripta, reperiuntur alia plurima, quæ à Canonibus his desumpta videntur, puta de die celebrandi Paschatis, de non recipiendis clericis sine commendatiis literis, de cogendis conciliis bis in anno. Extat hæc Synodus ex Beda, lib. 4. *Hist. Anglican. cap. 3. tomo 6. Concil. general. col. 537.*

Haud obscurum est, quod Synodus hæc, si ad canonem præsentem reflexerit, eum non intellex-

(a) Suspiciatur eruditus Pithæus, quod ita lectum olim fuerit, *ibidem constitutus.*

(b) Idem conjicit legendum esse *profectus.*

(c) Dorovernum vel Durovernum aut Datvernium dicitur hodie Cantuarum Cantorberii.

xerit de Episcopo suam Ecclesiam abdicante, & ad aliam transeunte; sed de Episcopo, qui non contentus propriæ plebis administratione, alienæ se immisceret, idcirco mandans, *ut contentus sit gubernatione creditæ sibi plebis.*

Quia tamen contingere potest, ut Episcopus alteri populo multum utilis sit, ut necessarius, subjungit canon hanc modificationem, *nisi forte eum rationabilis causa compellat alienam eum Parochiam sive Diocesi assistere, tanquam qui ibidem constitutis plus lucri adferre, & in causa Religionis aliquid profectò prospicere, (sive C. quod ipse majorem utilitatem illis, qui ibi habitant, possit per doctrinam pietatis conferre.)*

Et sanè non ita scrupulosè distinctæ fuere primitivè Dioceses, ut Episcoporum, qui Apostolorum successores sunt, zelus Apostolicus nequeat se subinde etiam ultra limites suæ Diocesis extendere, si id charitas proximi & Ecclesiæ utilitas postulet. De qua latius in *Tomo primo Juris Eccles. part. 1. titulo decimo sexto, cap. 2. & 3.*

Verum ne hic præcipiti zelo fallantur & sub pallio promovendæ pietatis se tegat ambitio aut dominandi cupido, rectè addit canon noster, ut, si causâ majoris profectus ad alienam Diocesim pergere intendat, sive ejus administrationi se immiscere, hoc non à semetipso pertinet, sed multorum Episcoporum judicio & maximam supplicatione (sive G. exhortatione perficiat.

„Præsens igitur canon pro temporis ratione, vult aliam in Parochiam transire Episcopum doctrinæ, sermocinationisque causâ propter utilitatem commorantis illic populi; neque tamen suam solius hoc voluntate, sed ab aliis vocatum & dignum habitum non prohibet.“ Ita Zonaras hic.

C A N O N XV.

Si quis Presbyter aut Diaconus aut quilibet de numero Clericorum relinquens propriam Parochiam, pergat ad alienam, & omnino demigrans præter Episcopi sui conscientiam in aliena Parochia commoretur, hunc ulterius ministrare non patimur: præcipue, si vocatus ab Episcopo, redire contempserit, in sua inquietudine perseverans. Verumtamen tanquam Laicus ibi communicet.

S C H O L I O N.

PRO intellectu hujus canonis observandum, quod primis Ecclesiæ sæculis, non tantum Clerici Presbyteri & Diaconi, sed omnes etiam inferiores Clerici, vi suæ ordinationis adscribentur certæ Ecclesiæ, cui tanquam ministri singuli juxta ordinem susceptum, ministrare & laborare debebant, uti sæpius in hisce scholiis annotatum est.

Itaque hoc canone decernitur, ut nemo de numero Clericorum alicujus Ecclesiæ, sive Diocesis, transeat ad aliam, & omnino transmigrans (sive G. cum penitus migraverit) præter Episcopi sui licentiam in aliena Parochia, id est, Diocesi commoretur, (sive G. maneat, hunc ulterius (C. sacris) ministrare non patitur; hoc est, à sacris sive clericalibus functionibus suspendit, præcipue, si vocatus ab Episcopo, redire contempserit, (sive C. Episcopo ad reditum non obtempe-

Clerici veterantur Ecclesiam cui adscripti sunt, deserere sine licentia proprii Episcopi.

obtemperaverit) in sua inquietudine perseverans, (vel G. in sua contumacia & insolentia perseverans) (aut C. in ordinis desertione perseverans.)

Postremæ Cotelerii lectioni congruit Josephi Ægyptii Arabica hujus canonis paraphrasis, in qua asserit, hunc Clericum à Sacerdotibus, eorumque commercio segregari, propterea quòd Sacerdotii Ordinem dissecare, eumque corrumpere velit.

Itaque canon eum tanquam Sacerdotii & Ordinis corruptorem à Sacerdotio alienum declarat, & ad statum Laicorum sive communium fidelium redigit, permittens, ut in Ecclesia, ad quam propriâ voluntate migrauit, tanquam Laicus communicet.

Optandum, ut hodie Clerici, qui mox ut lucrum, aut promotio aliqua vel minima affulget, de una ad aliam Ecclesiam demigrant, canonem hunc, aliosque similes seridè expenderent, nec sacerdotium, hoc suo modo agendi, adeò deprimerent, ut non alio quàm lucri, aut proprii commodi vel promotionis intuitu videantur Ecclesiæ esse adscripti; eam deserturi, ubi majus lucrum vel aliud quidpiam temporale offertur.

C A N O N XVI.

Episcopus verò, apud quem memoratos (a) esse constituerit, si contra eos decretam cessationem pro nihilo reputans, tanquam Clericos fortè susceperit, veluti magister inquietudinis communionem privetur.

S C H O L I O N.

De Episcopo clericali licentia proprii Episcopi suscipiente.

C O N T E X T U S hujus canonis, ipsaque particula adversativa verò sufficienter insinuant, hunc esse præcedentis canonis appendicem, meritoque in exemplari, quo usus Cotelarius, superiori conjungi, unumque cum eo canonem conficere.

Præcedens enim canon à sacris suspendit clericos, qui sine conscientia sui Episcopi, transeunt ad aliam Diocesim, neque revocanti Episcopo obtemperant; hic autem canon vult, ut Episcopus, apud quem hujusmodi clericos esse constituerit, si eos tanquam clericos fortè susceperit, puta ad functiones clericales admittendo, quasi decretam ab ipsorum Episcopo contra eos cessationem (C. à ministerio,) (sive G. à munere) pro nihilo reputans, communionem privetur: (sive G. segregetur, veluti magister inquietudinis, seu G. interurbati ordinis immodestia & insolentia) (aut C.)

S. Alexander Episcopus Alexandria quosdam clericos excommunicaverat, eò quòd divinam Christi naturam negarent, qui à nonnullis Episcopis in communionem, sine Alexandri licentia, recepti sunt. Hoc eorum factum Alexander reprehendendus in literis ad Episcopum Constantinopolitanum apud Theodoretum, lib. 1. cap. 4. ait: „Quod factum, meâ quidem sententiâ, maximam infamiæ notam collegis nostris, qui illud ausi sunt, inuffit, qui non modò id, quod canon Apostolicus non permittit, faciunt, sed eorum contra Christum, conatum planè diabolicum, qui eis inest, vehementiorem efficiunt.“

Canon Apostolicus hic ab Alexandro citatus videtur esse præsens canon, quo communione privandus dicitur Episcopus, qui clericos à suis Episcopis segregatos suscipit, quod & latè probat Beveregius in codice primitivæ Ecclesiæ illustrato, lib. 1. cap. 13. exinde argumentum pro horum canonum antiquitate eliciens.

Quod hoc canone edicitur, indubiè intelligendum de clerico Ordine judiciario suspenso, & ut tali publicè denunciato.

C A N O N XVII.

Si quis post Baptisma secundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, non Presbyter aut Diconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deserviunt.

S C H O L I O N.

C U M præsens canon nequaquam generaliter à clericatu excludat, qui secundis fuerit nuptiis copulatus, sed eum, qui post Baptisma iis fuerit copulatus, sive, ut legunt Græci, qui post sanctum Baptisma duobus conjugis fuerit implicitus, (seu C. conjunctus,) haud obscurum est, hoc canone dumtaxat tanquam Bigamum & irregularem à clericatu excludi, qui post susceptum Baptisma duobus conjugis fuit implicitus, aut post Baptisma secundis fuerit nuptiis implicatus: & ita communi sensu Græci intellexerunt.

Existimârunt quippe Patres, præsertim Græci, hanc irregularitatem fundari in quadam continentia suspicione, quam ingerit nuptiarum reiteratio, atque idcirco iteratas nuptias hoc canone cum concubinato expressas videmus, eodemque canone excludi a clericatu illum, qui secundas nuptias contraxit, & illum, qui concubinam habuit.

Sicuti igitur concubinatus ante Baptisma neminem à clericatu excludebat, eò quòd à vitio & maculis per Baptisma homo totaliter expurgeretur, & quasi in novum hominem renovetur, ita & maculam per iterationem nuptiarum contractam aquis Baptismi totaliter elutam crediderunt.

Hinc Balsamon ait: „Eum, qui post sanctum Baptisma Bigamus fuerit, vel fornicatus sit, prohibet canon, fieri Episcopum, vel Sacerdotale quidpiam exercere. Quæ enim ante Baptisma admittuntur, omnis generis peccata prætermittit, cum factus sit novum opus solâ gratiâ S. Spiritus.“

Idem sensit Zonaras scribens: „Divinum lavacrum sancti Baptismatis omnes credimus, abluere sordes ipsis baptizatis illicitas ante Baptisma, nullumque peccatum, quod ante Baptisma fuerit ab aliquo patratum, prohibet ad Sacerdotium promoveri baptizatum, quod si post Baptisma sortatus fuerit, aut nuptiis duplicibus adhæserit, indignus qualicumque Sacerdotio judicatur.“

De hac sententia Græcorum latius egi in Jure Eccles. part. 2. sect. 1. tit. 10. cap. 2. ubi unâ notavi, S. Hieronymum è Latinis Patribus huic sententiæ fuisse suffragatum; eamque Græcorum sententiam satis consonam esse textui Apostoli in Epistolis ad Timothæum & Titum.

Hujus canonis non obscurè meminit Theodosius senior in lege 3. Cod. de S. Trinitate,

[a] Fortè legendum est *memoratos*

quemdam Ireneum condemnans post secundas nuptias præter APOSTOLICOS CANONES Tyrriorum civitatis Episcopum factum.

Illud hinc quoque notandum, eum, qui concubinam habuerit, æquè irregularem, & à Clericatu exclusum pronuntiari, ac illum, qui secundas nuptias contraxerit, quin & concubinarium amplius excludi, notat hinc Aristenus dicens: „Qui-
„libet bigamus ad Sacerdotium non est admit-
„tendus, multò magis, qui pellicem nutrit.“

Unde non secus ac verus bigamus in perpetuum à Clericatu habetur exclusus, quod & multis sæculis observatum fuisse ostendi in *Jure Ecclæs. part. 2. sect. 1. tit. 10. cap. 6. & cap. 2.* Notavi autem, faciliùs cum Bigamis quàm cum fornicariis fuisse dispensatum & unde contraria praxis invaluerit.

Extat præsens Canon apud Gratianum *Dist. 33. Si quis post.*

C A N O N XVIII.

Si quis viduam aut ejectam acceperit, aut meretricem, aut ancillam, vel aliquam de his, qua publicis spectaculis mancipantur, non potest esse Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus, aut ex eorum numero, qui ministerio sacro deserviunt.

S C H O L I O N.

A Sacerdotio repellitur, qui uxorem duxerit de incontinentia suspecta.

Sicuti præcedenti canone excluditur à clericatu, qui vel per iteratas post Baptismum nuptias, vel per concubinatum incontinentiæ suspicionem aut maculam contraxit, ita & hoc canone excluditur, cujus uxor ab ea macula, ejusque suspicione immunis non est.

Existimârunt quippe Patres, maculam & vitium in virum redundare, ejusque famam non nihil obscurare, atque propterea à Sacerdotio excludi.

Ita uno consensu canonem accepere Græci Interpretes; „Nota præsentem canonem, ait Balsamon, vult enim non solum eum, qui est sacra-
„tus, esse modestum & continentem, sed etiam
„ejus conjugem; & ideo mulieres, quæ hinc com-
„prehenduntur, prohibuit cum sacra-
„tis hominibus Matrimonio conjungi, utpote quod eas con-
„tinenter vivere non credatur, propter earum
„sordes & improbitatem.“

Similiter Zonaras, notatis mulieribus in canone expressis, rationem prohibitionis reddens, ait: „Tales enim mulieres promiscuè viventes invere-
„cundè cum quibusvis occurrentibus conversan-
„tes & colloquentes, non creduntur pudicè vive-
„re. Quamobrem quisquis aliquam de numera-
„tis acceperit, hunc ad ullam sacri ministerii fun-
„ctionem provehi non permittit canon.“

Itaque Græci nullatenus attenderunt in irregularitate resultante ex Matrimonio cum vidua defectum aliquem sacramenti, quemadmodum Latini præsertim recentiores considerant, sed suspicionem incontinentiæ in vidua nuptias reiterante, natam per uxorem redundare in maritum.

Unde videmus, quod hoc canone non tantùm prohibeatur esse ex numero, qui ministerio sacro deserviunt, (sive G.) omnino ex numero sacerdotali, (vel C. Catalogo Sacerdotali) qui viduam duxerit, sed etiam, qui ejectam (seu C.) repudiatam, aut meretricem, vel ancillam, vel aliquam de iis, qua publicis spectaculis mancipantur: (seu

G. Mimam, seu scenicam, (aut C. aliquam ex numero sceniarum.. Extat apud Gratianum *Dist. 34. cap. Si quis viduam.*

C A N O N XIX.

Qui duas in conjugium sorores accepit, vel filiam fratris, Clericus esse non poterit.

S C H O L I O N.

TAmetsi in canone ex versione Dionysii tantùm fiat mentio *filia fratris*, decisionem tamen æquè respicere filiam sororis evincit identitas rationis, & Græcorum lectio, quæ pro *filia fratris* legit *consobrinam*, quæ tam filiam sororis quàm fratris significat; Cotelarius autem legit *aut fratris vel sororis filiam*.

Cùm canon eadem pœnâ feriat, & eum, qui duas sorores duxit, & eum, qui unam illicitas nuptias contraxit cum consobrina, planum est, non ad Bigamiam similitudinariam, sed ad indignitatem facti, Patres respexisse. Unde etiam observandum monet Balsamon, quod „non solum,
„qui duas sorores aut consobrinam duxit, sed &
„qui aliud Matrimonium propter consanguinitatem vel affinitatem prohibitum contraxit, non
„fiet clericus, sed ei pœna potius imponetur.“

Qui consanguineam in gradu legitimo in uxorem duxerit, à Clericatu excluditur.

C A N O N XX.

Clericus fidejussionibus inserviens abjiciatur.

S C H O L I O N.

DUm hinc agitur de clerico fidejussionibus inserviente, vel, ut legit Cotelarius, *qui dat fidejussiones*, satis insinuatur, hinc agi de Clerico, qui fidejussionibus se implicat, ut lucrum inde caperet, non autem de Clerico, qui ex motivo charitatis subinde se pro proximo obligat, uti rectè observant Zonaras & Aristenus.

„Qui pro alio fidejussorem se præstat, aut propter lucrum fide jubet, aut propter charitatem, propter quam & nostras ipsorum animas profratribus ponere jubemur,“ inquit Zonaras. Dein monet, „quod à Publicanis, qui publicorum tributorum redimunt exactiones, si manifestis non abundeat facultatibus, fidejussores exiguntur, & nonnullos adducunt, qui bona sua propter eos oppignorant. Hoc igitur, ait, & quæ sunt huic similia, prohibetur Clericis, ne se negotiorum molestiis & actionibus interponant judicialibus. Suspicio namque est, quod illa propter lucrum ferant, Clericos autem dedecet esse turpis lucri cupidos. Propterea depositionis pœna ipsis infligitur.“

Sanè, cùm experienciâ notum sit, per fidejussiones frequenter in molestias & tracas litium incidi, meritò Clerici ab iis, quantum possibile est, abstinent, quod & posteriores Synodi decreverunt, ac notanter Synodus Provincialis Mechliniensis anno 1607. tit. 18. cap. 1. Statuit: *Nemo etiam in ordine sacro constitutus fidejubeat.*

